
DISCURSUS PUBLICUS EXHIBENS ELECTIONEM REGIS ROMANI IN IMPERATOREM...

Johann Volkmar Bechmann, Georg Neumann, Valenti Gonzaga





PRÆLIBAMEN.

MOdos, quibus administratio Reip. illustribus defertur personis, illegitimos alios, alios legitimos vocat *Schönborn. Tab. 3. politicis suis libris præfixâ.* Inter illos non modò violentiam refert, sed & fraudem & largitiones. Illâ, ut de posterioribus nihil dicam, non Abimelech tantùm, qui à DEO populi sui constitutus erat judex cœsis septuaginta, quos fratres agnoverat, viris, *Jud. 9.* suum auspicatus est imperium: Nec non Tarqvinius Superbus de quo videatur, *Florus lib. 1. c. 7.* Sed & Agathocles, qvi, ut sibi Tyrannidem assereret, Senatum Syracusanum die quodam coëgit, tanquam aliqua quæ è Republicâ essent, deliberaturus; ac ad nutum ad id constitutum, jussit à suis millitibus omnes Senatores, omnesque è populo ditiores ad unum interfici: Quibus ita dolo circumventis & trucidatis Principatum illius civitatis occupavit, ac sine ullâ civili tenuit illum controversiâ. *Machiavel. de Principe cap. 8.* Sic quoq; Turcas imperium suum à jugulatione fratrum pessimo Monarchiæ obtinendæ zelo auspicari testis est *Schönborn. lib. 2. Pol. c. 19. p. m. 171.*


Hos inter numerantur Electio & successio, qvamvis tertiò sortem addat. *Dn. Cellarius lib. 2. Pol. 2. c. 3. n. 1.* Eamque alii ad Electionem referant. His ex haud frustrà primas sibi vendicat Electio; monstrat etenim eum, qui præstantior est & imperare debet, *Tacit. lib. 1. Hist.* Idque e-

molumenti singulariter suffragia habent vitia ut successoris emendare, & si improbus speretur ex stirpe Rex, eum prævertere possint, ac Sceptrum deferre ei, qui pius, justus, prudens sit, ac subditorum & imperii salutem conservare studeat, *ut ex Besoldo tradit Dn. Carpzovius de Leg. Reg. cap. 1. sect. 1. n. 19.* Quam, cum & in sacratissimo nostro Romano-Germanico Imperio vires suas adhuc obtinere sat luculenter probet observantia, mihique thema quoddam excercendi ingenii gratia privata industria tractandum foret, Electionem Regis Romani enodandam mihi sumpsi, eamque brevibus, partim ob temporis, partim & pagellarum angustiam non tersè fateor aut limatè elaboratam, sed rudi penicillo adumbratam exhibeo tribus membris inclusam, quorum primum Antecedentia, secundum Concomitantia, s. Intermedia, & tertium Consequentia Electionis comprehendit. Quod dum facio Tu benignissimè DEUS in cujus nomine ad omnia consilia omnesque actus semper progrediendum, *l. 2. C. d. off. Prat. Prat. Afr.* qui & res penitus desperatatas donare & consummare virtutis magnitudine potes *l. 1. §. 2. in f. C. de V. J. E.*

Huc adsis clemensque meis illabere cœptis
Quò possit portum tangere missa ratis!



I. N. D.



I. N. D. N. I. C.

MEMBRUM PRIMUM.

§. 1.

EXorsurus itaque quam pertexendam mihi sumpsi telam, eam non sine ratione ab ipsa definitionis traditione auspicabor, cum ex hac tanquam potissimâ rei parte vis & natura rei investigari possit *Everhard. in loc. legal. loc. à definit.* Brevibus idcircò eam sisto talem. Electio Regis Romani est actus legitimus, quo personæ idoneæ, administratio Imperii Romani juxta præscriptam Aur. Bullæ formam per Electorale collegium, aut partem illius majorem confertur.

§. 2. Hanc Regis R. Electionem *cum Braudlacht. Epit. J. prud. univ. lib 2 cap. 1. §. 7. & 8. Dn. Sprengero in sua JPrud. publ. Tit. de Elect. Imper. p. m.* 119. facio duplicem Ordinariam videlicet & Extraordinariam: Illa est quando vacante Imperio vel per mortem, vel resignationem, vel depositionem Imperatoris, Electores ad Electionem Regis R. legitimo modo accedunt. Hæc illis est quando vivente adhuc & nonnunquam consentiente Imperatore Electores Imperii ac Regis R. futuri in Imperio successoris electionem justis de causis se accingunt.

§. 3. Præmissis ita breviter definitione ac divisione ad enarrationem eorum, quæ ipsam Regis Rom. antecedere solent Electionem, transeo. Inter ista autem antecedentia primarium sibi vendicat locum ipsa Electorum convocatio, secundarium salvi conductus præstatio, & tertium denique juramentum Electoribus à civibus Franckofurtensibus præstandum.

§. 4. Est igitur Convocatio Electorum ejusmodi actus, quo Moguntinus intra mensem à die defuncti Imperatoris omnes & singulos, tàm Ecclesiasticos, licet nondum infulatos, quàm Seculares Electores, literis patentibus per suos Nuntios ad Electionem Franckofurti expediendam, convocat, illosque quod intra tres menses à die denunciationis adesse velint, sive personaliter, sive per Legatos, rogat.

§. 5. Officium hoc intimandi Electionem Archi-episcopo Moguntino Electori ab Imp. Carolo IV. *in A B. tit. 1. §.* Auch setzen und ordnen Wir certam intimationis formam *tit. 18. A.B.* præscribente injungitur. Præ aliis verò Electoribus Moguntinum propterea ad munus hoc adscitum putamus, non solum, quod potestas convocandi de antiquo jam ei competierit, ipsomet Carolo IV. annuente *A. B tit. 4. §.* Wenn und wie offt ibi: als Er von alters vormahls gehabt; Sed & quia dignitatem ac officium Archi-Cancellarii sustinet per Germaniam *A.B tit. 2. §. 2.* cujus intuitu & archivum Imperii publicum seu charthophylacium quo publica Imperii documenta actaque continentur, & matriculam Imperii asservat. Et ut summatim dicam salutatur Moguntinus Electoralis Collegii Decanus, *Reinking. de RS & E. lib. 1. C. l. 3 cap. 3. n. 8. p. m. 205.* Meritò ideòque ut caput istius sanctioris Concilii Electoralis coelectores convocat quippe cui omnes Magistratus honorum suorum fasces submittere non dedignantur, *prout loquitur Budæus de officio Concellarii agens ad tit. de Off. Praef. Praet. referente Carpzovio disp feud. 1. quæst. ad A.B. 3. n. 11. p. m. 549.*

§. 6. Hosce tamen honores Moguntino qui inviderct non defuit Pius II. antea Æneas Sylvius dictus. Hic namque pro more Pontificum alas suas extra nidum ponens, jus hoc convocandi Electores, ad Electionem novi Cæsaris intervertere, & per obliquum jus imperatoris eligendi in sedem Romanam derivare conatus fuit, nam Archi-Episcopum Moguntinum Comitem Isebergicum ad obstringendum sese juramento sedi Romanæ & successoribus cogere voluit, ne se inscio Principes Electores adeligendum novum Imperatorem, aut

aut de aliis rebus in Imperio constituendis convocaret: Arroganti verò & iniquissimo huic postulato cum morem gerere Moguntinus recusaret eundem loco movit Impius ille Pius, substituto Adolpho Nassoviensi; *Rumelin ad A. B. part.1. diss.2. th.11.* Sed mucronem acutissimi illius gladii, ab Imperii jugulo plerorumque Electorum prudentiâ præsertim verò Moguntini Antistitis industria Friderici Palatini fortitudine & Ludovici Bojoriæ Ducis ope rejectum fuisse & in hunc usque diem prærogativam convocandi Moguntino salvam permansisse, ex Cisnero *de Orat Ottone III.* refert ac probat *Domin. Arum. de Comit. cap.3.n.41 p.m. 8. & 82.* Et quamvis hoc convocandi jus non semper competiisse Moguntino testentur historicorum monumenta, sed olim vel ad totum collegium, ut indicat. *M. Frehersu ad P. de Andlo lib.2.c 2.* vel ad Moguntinum & Palatinum conjunctim *juxta Spec. Sax. c. 17. §. 3.* vel ad Electores alternativè pertinuit *juxta Cuspin. in Carol. IV.* attamen sicut circa officia Electoralia pleraque cum tempore & usu invaluerunt, ita tandem ad Moguntinum inter coetera transiit jus convocandi. Nec est pro jure habendum quid fortè in turbato aliquo statu olim factum fuit, neq; in dubium vocanda Aur. Bullæ auctoritas; Competiisse autem Moguntino jus convocandi ab antiquo, sedis Moguntinæ dignitas argumento est, quæ teste Crusio, *Annal. Suev. p.I. lib.11 c 6.* jam à Pipini temporibus primas in eligendo Imperatore tenuit: Sic nominatim Fridericus I. Imperator jus primæ vocis (adeòque & jus convocandi, quod à prioritate voti vix separari potest) Moguntino adscripsit *Radevic.. lib.3. c. 16* *Et Lambert. Schaffnb. de reb. gest. Germ. Anno* 1073. Ita observatum testatur in electione Rudolphi, ex quo tempore Archiepiscopos Moguntinos illud jus usurpâsse tradit *Dn. D. Dieterich in not. ad A. B. t. 4. verb. literatorie convocandi.*

§. 7. His itaq; quæ *s. §. 3.* de potestate convocandi E.E. Moguntino tributâ diximus consequens erit ut illam, vacante per mortem Moguntini sede capitulo denegemus, Sancitum namque est in A. B. Caroli IV. *tit. 1. §.* Wann es

auch

auch darzukommen quod si in convocando Electores ad Electionem R.R. negliens fuerit Elector Moguntinus non capitulum convocare eos, sed motu proprio Franckofurtum convenire debeant: Qui igitur hoc necessario in casu Capitulum Electores convocare posset? inquit *VVurmser. Exerc. Acad. J. Publ. 2. qu. 4* Imò & ipsa A. B. solos Electores ad illa Comitia in quibus Cæsar vel Rex Rom. eligitur, admittit *tit. 1. §. 1.* ibi Principes Electores & unusquisq; Princeps Elector: *§. 20.* ibi Princeps Elector *§. 21. 22.* & passim *in tit. 2.* Jam verò Capitulum non est Princeps. Elector: Et propriè loquendo Archi-Episcopus vel Episcopus tanquam summam dignitatem habentes non sunt de Capitulo, sed soli Canonici id constituunt. *cap. cum in cunctis in fin. de Elect.* nec Capitulum sede vacante potest de novo beneficia conferre. *cap. quanto. cap. noscitur X. de his quæ fiunt à Prælatis sine consensu. c. 2. ne sede vacante.* Multò minùs ergò dignitatem Regiam, quâ nullum orbis augustius beneficium habet, conferre poterit argumentatore *Arumæo de Comit. cap. 4. n. 103. quem sequitur Mylerus in Addit. ad Rumelin. q. 1. diss. 2. & ir. Lit. A.*

§. 8. Nec est quod obloquaris ex Decreto Bonifacii IIX. Pontificis: Ast quid ille? Episcopali sede vacante, inquit, potest Capitulum, seu is ad quem Episcopalis Jurisdictio tùm temporis noscitur pertinere, iis, quibus posset Episcopus si viveret, ab excommunicationis sententiâ absolutionis beneficium impertiri. *cap. un. x. de majorit. & obedient. in 6.* Sed quæ hujus asserti ratio? forsitan illa, quam *Gail. 1. Observ. 30. n. 10.* ponit, quæ est, quod Ecclesiâ vacante Capitulum vel Collegium Canonicorum defunctum Prælatum Principem repræsentet, adeòq; omnis Jurisdictio s. quod idem est potestas Episcopalis penes Capitulum resideat ac remaneat. Hinc talis fluit Collectio. Si Capitulum ea omnia quæ ipse Episcopus valebat, efficere potest, sequitur quod Episcopo mortuo convocandi jus Capitulo competat, nec ipsi adimi possit, præsertim cum Episcopo Capitulum adeò sit connexum, ut conjugium spirituale invicem perhibeatur, tale sc. quod electione initiatum, ratum in confirmatione & in consecra-

ſecratione conſummatum intelligitur, veluti reſcripſit Innocentius III. ad Moguntinenſem. Atque de Capitulo noſtro de quo nobis in præſentiarum quæſtio eſt, verum eſt prius, per all. cap. un. E. & poſterius. Verùm hujusmodi argumentum nobis quam minimè obſtat. Nam & nos quæ hactenus dicta ſunt veriſſima eſſe in ſuo ſenſu pronunciamus: Diſtinctione itaque res temperanda eſt, quam ſubnectimus diſtinguentes, inter ea jura quæ jure ſedis & dignitatis Epiſcopalis competunt, & jura ſingularia, quæ non ex poteſtate Epiſcopali ſed alio reſpectu ac intuitu Epiſcopo fuere conceſſa. De illis faciles ſumus inconcedendo argumento; de his difficiles, negamus ac pernegamus: Non enim licet ab illis juribus quæ alicui ut Epiſcopo competunt, ad ea jura, quæ alicui ratione ſingularis cujusdam qualitatis conceſſa ſunt, argumentari; Moguntino verò convocandi facultatem, ſingulari indultu, non tanquam Epiſcopo, ſed Principi & Electori Imperii competere, nulli dubitamus: *Vid. Dn. Arum. diſc. 1. ad A. B. tit. 14. Rumelin. ad A. B. p. 1. diſſ. 2. th. 12. Dn. Carpzov. cit. Diſp. feud. 1. quæſt. 3. Dn. D. Dietrich in not. ad A. B. tit. 1. §. præterea.*

§. 9. Quemadmodum autem alias quælibet legalis citatio, ſi modò vim obtinere velit, præter nomen citationem impetrantis (de quo hic non ſumus ſolliciti) nomen citantis, citandi, & cauſam ob quam, & diem ſeu terminum intra quem, item locum ad quem citatus comparere debet, in ſe contineat neceſſe eſt, prout inculcat, *Vir Nobiliſſimus, Ampliſſimus, Conſult. atque Excellentiſſ. Dn. Georgius Adamus Struve JCtus conſummatiſſimus, Profeſſor Salanus ubique terrarum decantatiſſimus, Promotor ac Præceptor meus ſummis honorum ac obſervantiæ titulis aviternum mactandus in Syntagm. JPrudent. Exerc. V. th. II. Nec non itidem Nobiliſſimus Ampliſſimus atque Excellentiſſimus Dn. Erneſtus Fridericus Schröterus, JCtus & P. P. in hac Salanâ celeberrimus, Præceptor ac Promotor meus eâ quâ par eſt reverentia devenerandus, in Prælect. ſuis publ. Tr. de Citationibus membr. 1. addatur inſuper Dn. Fibigii. p. m. proceſ. §. 3. Reg. 2. p. 23. ut & Gail. 1. Obſ. 48. 49. 50. & ſeqq.* Ita & convocatio hæc

Moguntino peragenda non modo contineat (1.) Nomen Moguntini tanquàm vocantis. sive citantis. Sed & (2) nomen *citati* f. convocati Electoris (3.) Causam vocationis. (4) Terminum intra quem, & denique (5.) Locum ad quem prout clarescit ex tenore ap. *Arum. de Comit. cap. 5. n. 6. & 7. subjecto.* Quod si vel unum ex prædictis fuerit omissum, convocatio illa erit invalida. Has enim solennitates in literis intimationis immutabiliter observari præcepit Carolus IV. *tit. 1.* §. Auch setzen und ordnen wir ibi: und was unverendert Zierligkeit darin gehalten. &c. Quoties autem deficit solennitas à Lege requisita actus ipso jure non subsistit, *Gail. 1. Obs. 124. n. 4. Rumelin ad A. B. part. 2. diss. 6. thes. 11.*

§. 10. Hâc autem certa intimationis forma, quæ in A. B. *tit. 18.* præscripta est, ad hoc opus fuisse ut nimirum pax & concordia inter EE. conservetur, divisionum periculis occurratur, omnisq; iis a litus præcludatur, refert *Ostermannus in Epit. A B. Method. & Exegeticâ tit. 18.* Olim quidem formam intimationis Moguntini arbitrio relictam nec illum ad certum modum adstrictum fuisse, idem probat aus dem Ausschreiben zur Wahl eines Römischen Käysers de Anno 1291. ubi Gebhardus Archiepiscopus Moguntinus inter alia his verbis ad Wenceslaum Bohemiæ Regem usus: Derentwegen achten Wir vor billich und nothwendig / daß man den Teutschen Landen und Provincen ein Haupt / welches die selben in sämptlicher Liebe erhalten / ziehren / beschützen / und die Unforchtsamen mit dem Zaume der weltlichen Gewalt aufhalten möge / ordnen solte. Also wollen Wir Euch zur Wahl eines künfftigen Römischen Käysers / den Tag / nach dem Feste der H. Apostelln Philippi und Jacobi zum ersten / andern und dritten mahle / zu Franckfurt / wie denn solches unsern Churfürstlichen und als eines Ertz-Cantzlers Ampte gebühret / mit diesen Unseren Schreiben ernennet und erkläret haben. (*Datæ hæ literæ 17. Septembr. Anno 1291. & conventus Electorum demum ad 1. Maji anni subsequentis 1292 in dictus, octo ferè mensium spatio interjecto quindecim saltem diebus deficientibus.*) Verùm quoniam facilè evenire poterat, ut Moguntinus (nullo ipsi præscripto in intimatione observando modo) ad alium Electorem

præ

præ alio literas benevolentiæ & humanitatis magis plenas, majoremq; honoris exhibitionem præ se ferentes daret Indeque inter Electores quasi alter præ altero parvi aut magni æstimetur, discordiæ quædam occasio oriretur, ideò fortassis certam intimationis formam, æqualiter erga omnes. EE. observandam, constitui placuisse, conjicit. *d. loc. dictus Ostermannus.*

§. 11. Vocantis itaque quod attinet nomen, ideò in convocatione exprimendum censemus quò Elector vocatus cognoscere possit, num à competente sit vocatus, & ne error in nomine convocantis vitiet ipsam convocationem, & per hoc ipsa Electio suspendatur. *arg. l. 80 ff. de judic.* Hactenus de citante prolixiùs egimus, progredimur propterea ad secundum requisitum.

§. 12. Nomen præterea f. convocandi f. citandi Electoris exprimi necessum est ut cognoscat ipsumne concernat citatio, an alium, & ne ex emansione in nominati Electoris instituta infirmetur electio, *arg. cap. cum in multis in f. x. de rescript. in 6.*

§. 13. Convocandi sunt idcircò Principes Electores tàm Ecclesiastici, quàm Seculares utpotè qui membra sunt capiti proximiora A. B. *tit. 2. §.* Und wie wohl von alters ibi: allen und jeden Geistlichen und Weltlichen Churfürsten / so für die aller näheften Glieder des Heyl. Reichs &c. Nobilia imperii fulcra & proceres sacrum ædificium circumspectæ prudentiæ, pietate sustentantes A. B. *tit. 3.* quorum Præsidio dextra Imperialis potentiæ roboratur *ibid.* Horum numerus hodiè crevit ita ut numerentur octo, & hoc quidem publicæ tranqvillitatis causa constitutum prout patet *ex Instrumento Pacis Cæsareò-Suecico. art. 4. §. quod ad Domum Palatinam*: Illos quod concernit, notamus, eos, & quidem à Pontifice nondum confirmatos, ad electionem convocandos & admittendos esse, prout. *s. §. 4.* diximus. Causa est, quod illud jus seu prærogativa Electuræ illis non ut Ecclesiasticis competat, sed eam ut Priucipes Imperii obtineant *Dn. Sprenger. in JPrudent. sua publ. Tit. de Elect. Imp. p. m. 121. Rumelin. ad A. B. p. 1. dis. 2. thes. 13.*

§. 14. Consistit autem illa confirmatio in Impetratione pallii: Est autem Pallium insigne ornamentum, quod de corpore B. Petri assumtum, in signum plenitudinis Episcopalis dignitatis, personis quibusdam Ecclesiasticis tribuitur *cap. 4. x. de Elect. & elect p.* Plenius illud *Vir Nobiliss. Ampliss. Consultiss. atque Excellentiss. Dn. Johan. Strauch JCtus & antecessor in inclyta Salanâ nostrâ famigeratissimus, Praeceptor meus submisse colendus, dissert Exoter. 5. th. 12.* delineat, inquiens, Pallium hoc esse fasciam latitudinis trium digitorum, ex candidâ lanâ linoque confectam, habentem circulum humeros circumstringentem & duas lineas s. chordula, ab utraque parte, ante & retro pendentes, item quatuor cruces nigras sive purpureas, quarum una ad pectus, altera retrò in humeris jacet, ultimæ hinc inde brachia exornant. Ad confectionem ejus quod attinet, eandem *Nobiliss. Dn. Strauch. cit. loc.* his subministrat verbis: Die 21. Januarii quo Divæ Agnetis festum celebratur, in ejus templo, dum in sacris mysteriis canitur *AGNUS DEI*, duo candidi agnelli super arâ statuuntur, & Subdiaconis D. Petri traduntur: Hi in pascua missi verno tempore tondentur. Ex eâ lanâ alii permista & in fila deducta pallia texuntur, in extremo firmantur tenuibus lamellis plumbeis. Texuntur à monialibus Turris Speculi *ut ex Onuphrio Panvino Tr. de sacrarum vestium generibus, refert Johannes Baptista Vivianus in ration jur. Canon. ad cap. ult. tit. de aut. & usu Pallii; quem sequitur Magnif. Dn. Ungepauer in Decretalium opere posthum. tit 8. n 3.* Tum ad Aram D. Petri & Pauli deferuntur, ibi solennibus precibus recitatis à summo Pontifice consecrantur, & per noctem reliquuntur. Manè Subdiaconi recipiunt & servant donec alicui Archiepiscopo deferantur. Pallii hujus redemtionem inter modos acquirendi Pontificibus usitatos refert *Reinking. de R. S. & E. L. 3 cl. 1. c 8 n 31. p. m. 1118.* Pallium fuit modus acquirendi, scribens, quo Romanus Præsul pro Archiepiscopi vel Episcopi confirmatione, nimis quàm carè linum suum vendens, sibi acquirebat 25000 florenos; qui ut eo esset fœcundior, constitutum est, ne pallium hoc personam egrederetur, nec in aliam transferri posset, sed in eo

quis-

qvisque sepeliretur *cap. 2. x. de aut. & usu pall.* Hæc hactenus incidenter. Sed ad rem!

§. 15. Omnes & singulos Electores ad actum hunc Electorium convocandos esse *s. §. 4.* asseruimus. Nostrum proindè haud merentur calculum, qui Regem Bohemiæ ad Sanctius Electorum Consilium admittendum esse negant. Quidam etenim, Regem Bohemiæ nullo planè modo ad Electionem Regis Romani convocandũ adstruere non erubescunt, hâc ficulneâ ratione moti; Quod Rex Bohemiæ non sit Teuto s. Germanus; quam ex Speculo Sax. *lib. 3. art. 57.* ubi dicitur; Der Schencke des Reichs hat keine Wahl / darumb daß Er nicht Teutsch ist / desumunt: Præter id enim quod huic oppositioni reponimus, hujus libri auctoritatem nos non stringere, nec ad decisiones juris publici allegari posse, addimus & hoc: Quod si ideò, quia Bohemus Teutonicus non est, non eligit, utique à contrario si probetur eum Germanum esse, vel consentientibus adversariis eligere poterit. Quod verò Bohemus Germanus sit sequentes potis erunt ostendere rationes. Et quidem (1.) constat Carolum IV. & ejus filium Wenceslaum Bohemiæ Reges fuisse & insimul Imperatores; At Imperator non potest esse, nisi qui Germanus, de quo *§. in membr. 2.* dicetur. (2.) pro nostra sententia militat ipsa A. B. & quidem *tit. 26 §.* Wenn aber des Heil. Röm. Reichs / ibi: Darumb gebieten Wir und wollen / daß die Durchläuchtigen Fürsten und Herren / der König zu Böheimb / der Pfaltzgraff beym Rhein / der Hertzogen zu Sachsen / der Marggraffen zu Brandenburg / Churfürsten Söhne / oder ihre Erben und Nachkommen / denen als der Warheit gemäß / natürliche Teutsche Sprache angebohren / und eingepflantzet ist / und auch von Kindheit auff gelernet haben etc. & sic autoritatem autoritati opponimus, & quo major A. B. vis est, eò quoque fortior est in ligando præ Speculo Saxonico. (3.) In Scenam producimus non modò *Æneam Sylvium in Bohem. cap. 1. sed & Munsterum lib. 3. in descript. Regn. Bohem.* Bohemiam Germaniæ portionem esse statuentes, adeo, ut in templis sermone Teutonico plebs doceatur. Sic & *Dubravius lib. 9. hist. Boh.* Bohe-

hemos germanis permixtos ipsam Germaniam inhabitare asserit,

§. 16. Pariter ineptiunt, qui Bohemum propterea quod non sit Elector electione privandum, assertum eunt: Primaria verò eorum argumentatio hæc est: Quicunque non habet sessionem in Comitiis, nec Contributionibus aliisq; Imperii oneribus est obnoxius, non est status Imperii. nec per consequens Elector. Atque de R. Bohem: verum est antecedens. Erg. & consequens. Sed respondeo. I. Inanem de eâ quæstione censeri disputationem, ubi clara constitutionis est determinatio; neque cognitis diu immorandum: Qvin autem de eo, quòd Elector sit, clarâ adsit constitutio, ex conjunctione antecedentium cum subseqq. apparebit. II. Resp. Limitando Majorem hoc modo: Quicunque nec in universalibus, nec particularibus Comitiis votum & sessionem habet, ille non est status Imperii. Atque sic negamus Minorem. Sciendum & hic est, quòd vox Status sumatur dupliciter. 1. Latè & generaliter; sic omnis ille est status Imperii, qui in matriculâ hodiè invenitur, & ab omnibus pro tali habetur. 2. Strictè & specialiter, sic nullus est status Imperii, qui non habet votum & sessionem in Comitiis: hoc modo Rex Broh. non est status, sed priori. Præsuppono & hîc *cum Nobilissimo, Amplissimo, Consultissimo atque Excellentissimo Dn. Præside P.P. in hâc Salanâ decantatissimo, Præceptore meo æternùm suspiciendo in Lectionibus suis privatis ad Epit. Jurisprud Publ. Braudlachts. lib. 1. c. 3.* duplicem esse matriculam, aliam in quibus nomina statuum tantum sunt consignata, aliam in quibus tantùm illi status enumerantur, qui contribuunt imperio: Hinc etiam est quod Rex Bohemiæ in hâc posteriori, cum nihil contribuat Imperio Romano, non contineatur.

§. 17. Alii quidem quibus meliora præcordia Titan finxit, mitiores sese exhibent: & tum demum vocandum esse Regem Bohem. Si nim. alii discordent, *ut Petrus de Andlo de Imp, Rom. l. 2. c. 2.* & velut arbitrum saltem honorarium, si paria vota discrepantia in electione fuerint, intervenire, censent ac largiuntur *Ut Pacian. lib. 2. cap. 35, in 26. de probat.* Sed

nec

nec his subscribere possumus. Nam in A. B. Carol. IV. *tit.* 3. §. Zum dritten expressè sancitum & constitutum est, quod tertium votum ex Rege Bohemiæ Elector Moguntinus perquirere debeat, ideoq; non tum demùm quando discrepantia sunt aliorum Electorum vota, (sed ordine præscripto interrogandus est) aliàs enim perquisitis priùs & discrepantibus aliorum votis, Regis Bohemiæ votum ultimo loco perquirendum esset. *Reimk. de R. S. & E. L. I. Cl.* 4. *c.* 3. *n.* 32. & 33. Placet his subnectere verba *Arumæi Tr. de Comit. cap.* 2. *num* 24 *p. m.* 29. hunc in modum concepta: Si Rex Bohemiæ votum tertium & inter seculares primùm habet Elector sit necesse est. Atqui *in tit.* 4. *A. B.* § 3. 4. dicitur, quod ex Regiæ dignitatis fastigio inter Electores seculares jure & merito primatum obtineat (ratio est quod non solùm sit Elector, sed etiam verè Rex, hinc habens dignitatem duplicem præfertur habenti unam.) Sic quoque in celebratione Imperialis curiæ & in qualibet sessione, ubi Imperatorem vel Regem Romanorum cum Principibus Electoribus sedere contingit, à dextero Imperatoris latere immediatè post Archiepiscopum Moguntinum vel Coloniensem, distinctione *tit.* 4. *A. B.* §. 1. observatâ primum locum habet. Ipse in processibus solennibus Imperatorem sive Regem Romanum, immediatè, nullo interveniente, sequitur *A. B. tit.* 22 Relinquitur itaq; eum, quia primus est, & Electorem esse, & non ubi dissentiunt, sed antequam reliqui seculares suas sententias dixerint, votum suum proferre. Confirmatur, hoc insuper *A. B tit* 7. § 4 cujus hic tenor. Sane longè lateque & publicum quasi per totum orbem notoriè manifestum, Illustres Regem Bohemiæ, nec non Comitem Palatini, Ducem Saxoniæ & Marchionem Brandenburgensem, virtute Regni & Pricipatuum suorum, in electione Regis Romani in Cæsarem promovendi, cum cæteris Principibus Ecclesiasticis suis coëlectoribus, jus vocem, & locum habere & unà cum ipsis censeri & esse veros & legitimos sacri Imperii Principes Electores.

§. 18. Et quod deniq; sententiæ hujus autores attinet, cum illi nullius Constitutionis, aut etiam idonei authoris testimonio fulciantur, eâdem confidentiâ quâ illi adstruunt nos

destru-

destruere possumus eandem, præsertim cum à parte nostrâ tot Constitutionum unanimis consensus, & acta fidei indubitatæ militent. Has ad quas provoco Constitutiones si quis scire ac introspicere gestiat, adeat Goldast. *Tom. 2. Constit Imp. fol. 91. & 92. & fol. 93. & 94. Id. d. tom. 2. fol. 86.* ubi continetur Constitutio Imp. Rudolphi I. *de Anno 1290.* circa hoc negotium promulgata, quam hîc apponere ob pagellarum angustiam mihi haud integrum. Extat quoque inter alia *ap. Baronium Annal. Ecclesf. tom. 10. de Anno 996.* diploma Electorale, quo Germaniæ Princeps Electionem Philippi Imperatoris Erphordiæ peractam Pontifici Romano insinuant, in cujus subscriptione inter seculares Principes primo loco legi Regis Bohemiæ nomen, notat *Arum. de Comit. cap. 2. n. 24. in med.* qui videri potest.

§. 19. Ex dictis satis demonstrata erit necessitas vocandi Regem Bohemum, ad Regis R. electionem; modò addam exemplum Ladislai Regis. Boh. quod non minimam huic negotio subministrabit lucem. Hic cum in electione Maximiliani I. præteritus esset, adeò non dissimulanter tulit ut pœnam Aureæ B. acerrimè postulare non cessaret, armaq; minaretur, nec in gratiam redire voluit, nisi hâc conditione ut remitteretur Regibus Bohemiæ obsequium, quo Imperatori in Italiam concedenti adstringitur; aut ipsi liceret ejus vice octingentos ducatos exsolvere: Quod cum ipsi fuisset denegatum ab Electoribus, tandem sub transactione conventum, ne sub pœna quingentarum marcarum auri puri Reges Bohemiæ in posterum excluderentur. *Limn. ad Capit. Ferd. III. in annotam. ad art. 50. n. 20.* Causam non factæ vocationis alii ad discordiam quam inter Imperatorem & Regem Boh. tum viguisse tradunt, referunt. Alii rationem in hoc ponunt, quod cum tempore Imperatoris Friderici II. *Anno 1486.* Electores propter negotia Imperii, alia tamen quam electionem Regis Rom. concernentia Francofurti convenissent, & inter consultandum certis ex causis etiam utile visum fuisset, Romanorũ Regem propediem eligi, factum esse, ut Rex Boh. temporis redimendi causâ, & ad excludendam omnem moram, quæ detrimen-

trimentosa imperio videbatur, ad electionem non fuerit vocatus. Quam causam quoquè exhibet Electorum effatum (*Cap. Goldast. p. 2.* der Reichs-Satzungen. *pag. 178*) nempè: daß solche Nicht-forderung des Königes in Böhmen zur Wahl nicht in Verachtung oder Abbruch seiner Königlichen Würde / Ehre und Gerechtigkeit / sondern alleine aus zufälliger Sachen in der Eyle beschehen. Dn. Limn. d. l. n. 24.

§. 20. Ad tertium convocationis nunc ut deveniamus necesse est requisitú, quam *S §. 9.* constituimus Causam, quæ nullatenus omittenda: Si enim in privatis causis æqvum putatur, ut reo ad judicium vocato tempus deliberandi concedatur, cederene vel contendere velit. *l. 1. ff. de Edendo* utique in publicis & imperium concernentibus causis vel maximè pro informatione vocati, ea inseri debet, ne, si ipsus se sistere, vel Legatos ad Comitia mittere velit, ex improviso de summâ Reip. circa quam lapsus tantò periculosior est, quantò plures is pessundare potest, consulere necesse habeat. *Dn. Arum. de Comit. cap. 5. n. 9. p. m. 232.*

§. 21. Causa autem justa est vacantia Imperii, quæ contingit, vel per mortem, vel per resignationem, vel depositionem Imperatoris. *vid. S. §. 2.* De morte cum nulla subsit dubitatio frustrà subjunxero. Resignationem quod concernit, ea nihil aliud est, quàm liberâ Cæsaris voluntate ritè facta Imperatoriæ potestatis abdicatio. Licere verò Imperatoribus Imperii habenas suâ sponte deponere Diocletiani & Maximiani, quorum (cum socii essent Imperii) iste se Jovium appellari voluit, hic Herculeum: Horum ille facta Nicodemiæ *Anno Christi 308.* abdicatione, Solonæ in Dalmatiâ vitam hortorum culturâ oblectans privatus transegit. *Limn. de J. publ. Tom. 1. lib. 2. c. 11. n. 8* Item Lotharii I. (qui filio suo Ludovico cedens Imperium, Monasterium Prumiense à se constructum & amplissimis possessionibus dotatum *Anno 855.* ingressus est) & Caroli V. (qui in solitudinem & Monasterium S. Justi propè Valentiam in Hispan. Monachorum divi Hieronymi cum duodecim familiaribus relictis seculi curis concessit, *Dn. Sprenger. in suô Jprud. publ. Tit. de coronato sub fin. p. m.*

 184.

114. & à statibus ut fratri Ferdinando concederetur imperium Anno 1558. impetravit) exempla demonstrant. *Vid. Dn. Lampad. in Tr. de Republ Rom. Germ. part. 3. c. 7. n. 7. p m. 74.*

§. 22. Circà resignationem quæstio moveri solet, Cuinam sit facienda? Et id intrepidè cum Dn. Carpzov. *de Leg. Reg. cap. 14. n. 3. & 4. & Limn. de J. P. Tom. 1. lib. 2. c. 11. n. 16.* eam in manus Electorum faciendam assero, non Pontificis, aut aliorum subditorum. Nam à quibus Imperator imperium suscepit, iisdem quoque renunciatio fieri debet. At non à Pontifice, nec à subditis, sed ab Electoribus Imperium suscepit. Ergò neque in manus Pontificis, neque Subditorum, sed Electorum facienda erit resignatio.

§. 23. Num autem Imperator ordinario modo semel electus, iterum deponi possit, controverti solet? Quod, si ex justis causis procedat depositio, affirmo. Probant hoc exempla Impp. Imperatoriâ majestate ac potestate privatorum. Sic Henricum IV. Principes Imperii tanquàm incorrigibile Schismatum caput deposuisse, constat ex Goldasto *tom. un. Const. Imp. fol. 250.* Sic Ottonem IV. nec non Fridericum II. imperio motos asserunt. Adolphum Nassaviensem Imperio ideò privatum esse, quia Principes Imperii neglexerat, indignos extulerat, publicè adulteria patraverat, virgines, Moniales & viduas vi constupraverat, fidem literis & sigillo roboratam violaverat, ex Limn. *lib. 2. cap. 11. n. 27.* accepimus. Et quanquam non desit, quod pro ratione dubitandi, quantum ad allata exempla attinet, possit afferri; solum tamen Wenceslai exemplum dubio caret omni. Causas hujus depositionis *ex Dn. Limn. d. loc.* has notare libet, quarum (1.) quod pacem in Ecclesia non promoverit (2) quod Imperium membris aliquot perniciosè mutilaverit & mutilum reddi permiserit, in quorum numero fuêre Mediolanum & Provincia Longobardiæ, quæ juris Sacri Romani Imperii extitêre. redeuntibus inde ad Imperium amplissimis emolumentis. (3.) Quod membranas per plures nudas, rasasque, suo tamen Sigillo munitas, amicis pecuniâ vendiderit, in quibus cum illis, tùm aliis, in quorum manus istiusmodi membranæ

branæ venerunt, sub regio sigillo, quæ scribere voluerint, licuerit. (4.) Quod controversias bellaque quæ Germaniam, aliasque S. Imperii terras miserè afflixerunt & pessundederunt, nihil unquam curæ habuerit (5.) quod cum propria, tùm aliorum facinerosorum, quos secum habuit manu, reverendos sacrorum antistites, Sacerdotes, & spirituales personas, alios item plures honestæ notæ homines contra juris normam neci dederit, aquis submerserit, igne cremaverit, miserabiliter & truculenter peremerit. *Hæc modo all. Dn. Limn.* Quibus immediatè subjungit ipsam exauctorationis sententiam, quam his tradit verbis; Quas porpter causas & alia multa gravia facinora, damna atq; defectus, NOS JOHANNES Archiepiscopus, nomine prædictorum Dnn. S. R. J. Coëlectorum, nostroq;, prædictum Dn. Wenceslaũ, ceu inutilem, negligentem dissipatorem & indignũ S. R. I. defensorem, eodẽ Romano Imperio, omniq; ejus gradu dignitate ac ditione ad idem pertinente privamus & submovemus, cunctis principibus, Optimatibus, Equitibus, Ingenuis, Urbibus, Provinciis & subditis &c. R. Imperii denunciantes, eos ab omni homagio & juramento personæ Wenceslai, nomine Imperii præstito, prorsus esse liberos, requirentes atque monentes eos sub jurisjurandi fide, quâ S. R. I. obstricti tenentur, ne prædicto Dn. Wenceslao, tanquam Romanorum Regi deinceps obediant & obsequantur, neque illi jus ullum, obseqvium, censum, reditum, aut ullam aliam pensionem quocunque nomine tandem appellanda veniat, ceu Romanorum Regi pendant, exhibeant, aut exhiberi permittant; Sed ejusmodi debita utili & idoneo Rom. Regi, divino favente Numine deinceps sufficiendo asservent.

§. 24. Non tamen promiscuè & ex quâlibet leviculâ causâ ad actum hunc depositionis prosiliendum, sed justa, sufficiens, prægnans atque urgens, ut sit, requiritur. Justam proindè & legitimam eam tum demùm censet *Rumelin. ad A. B. p. 1. Diss. 2. th. 9. sub fin.* depositionem, qvam causatur dissoluta perditissima & flagitiosissima Imperatoris vita, dilapidatio & abalienatio bonorum Imperii, ejusdemque limitum

diminutio, & prostitutio honorum, ignavia & desidia extrema, moresq; effœminatissimi.

§. 25. Major olim fuit controversia de eo, cui nimirum competat facultas deponendi Imperatorem? Pontificis, qui sustinent partes allegant *cap. ad apostolicam, de sent. & re judic. in 6. Clement. Romani de jurej. cap. venerabilem de Elect add. Joh. Igneus in disput. An Rex Francorum recognoscat Imperatorem. n. 13. & 79 Panciroll. consil. 19. n. 32. & seqq.* Sed horum ecce invictissimum (*ni fallor*) argumentum! Imperator non potest negare se Christo subesse, Ergò nec negare potest, se subesse Pontifici: Christi enim & Papæ idem est tribunal, cum hic sit ejusdem Vicarius in terris & quasi alter Deus. Ast explosâ hâc inconsequente consequentiâ, cum Dn. Limn. *lib. 2 cap. 11. n. 21.* pro Imperatore illud repono, quod Philippus Pulcher Francorum Rex, Bonifacio, se gerente pro summo Pontifice; Salutem modicam sive nullam: Sciat tua maxima fatuitas nos in temporalibus nemini subesse, secus credentes, fatuos reputamus & dementes: Quam verò egregiè hic Vicarius, si Diis placet, cum capite & Principe regni Christo conveniat, haurire licet ex versibus quos Dn. Limn. *cit. loc. ex Petro Asylo in Tyrrann. Antichristi cap. 10.* suos fecit.

§. 26. Pro Collegii Electoralis authoritate exclusis cœteris statibus qui decertant, his nituntur fundamentis (1) quia soli Electores Imperatori habenas Imperii concesserunt: & huc facit pronunciatum Archiepiscopi Moguntini Imperatorem Henricum consensu Electorum de fastigio deturbantis, cujus hæc verba, Quem meritum investivimus, cum nonimmeritum devestiamus, apud Arnisæum. *lib. 1. de Jur. Majest. cap. 6. n. ult. p. m. 138.* reperire licet. (2) quia resignatio fit solum in Electorum manus. (3) In Capit. Ferd. III. *art. 38.* Electoribus committitur cura Romani Imperii, ergò conceditur etiam remedium, quo vulnus mederi possit, & (4) hanc sententiam firmant S. adducta exempla. Nec officit quod Bl. *in L. Barbarius ff. de off. Pret.* Electores post electionem factam functos esse suo officio asserit, illisque duntaxat eligendi, non etiam deponendi Cæsarem potestas data sit, referente Carpz.

de L.

de L. Reg. cap. 14. n. 5. Respondemus etenim Baldum falsâ niti hypothesi, non enim exspirat post electionem officium, id quod patet ex solâ resignatione, quæ solis Electoribus facienda. *vid* §. 22. Imò plura habent quæ ipsis post electionem competunt, ut est v. g. jus Comitiorum Electoralium indicendorum. Et quamvis in A. B. non fiat mentio depositionis, attamen per hoc non excluditur depositio.

§. 27. Cœterum hactenus dicta nobis non sunt impedimento, quo minus ad electionem Regis Romani vivente adhuc Imperatore & consentiente, & invito nonnunquam, justis & necessariis ex causis procedi posse asseramus. Nostram verò assertionem. (1) ex ipsa A. B. *tit. 1. pr. Decernimus. Ibi: quotiescunque & quandocunque futuris temporibus necessitas sive casus electionis Regis Romanorum in Imperatorem promovendi emerserit &c.* probamus, ex quibus verbis ita colligimus: Verba ubi indefinita sunt, ea utpote universalium vice fungentia ad unum mortis casum extendi non possunt, sed necessum ut indefinitè & generaliter accipiantur. Atqui verba illa *quotiescunque & quandocunque* indefinita sunt *Tib. Decianus resp.* 28 *n.* 16. *vol.* 2. & consequenter indefinitè intelligi nec unico mortis casu definiri debent. Et (2) si verba illa ad casum mortis restringere voluerimus absurdum hoc emergeret, quod nec resignatione factâ ad novi Regis Romani electioné procedere f. sese accingere Electores possint, cû nec eo casu per mortem vacet imperium, quod tamen dissentientes volunt: Quod autem ex causâ resignationis ad novi Regis electionem procedi possit edocemur exemplis. *s.* §. 21. propositis. Deinde (3) Ubicunque necessitas emergit Rex Romanorum juxta A. B. eligi potest. Verùm non tantum ubi Imperator moritur aut deponitur, sed & cum senio, morte, aut plurimorum regnorum regimine implicatur, necessitas emergit, quia omnibus non potest, uni verò tantû inservire jurejurando, quod omnibus præstitit, impeditur. Porrò (4) huc facit & illa ratio, quod in solius Imperatoris favorem introductum videatur, ut solus imperare possit, poterit igitur & huic favori renunciare & permittere ut per vota Electorum ei adjungatur

Rex Romanorum. Tandem (5) optima est interpretatio legis, quam is suo exemplo dedit, qui autor legis est; Constat, autem quod autor A. B. Carolus IV. non tantum de casu mortis vel etiam depositionis, verùm etiam electione ejus, quæ vivo Imperatore fit Bullam intellexerit, quia filius ejus Wenceslaus ipso sollicitante & vivente in Regem Romanorum electus fuit. *Cuspin. in vit. VVenceslai.* Quæ verò huic nostro asserto ut contraria afferuntur optimè resolvit. *Dn. Reinking. de R. S. & E. Lib. 1. Cl. 3. cap. 14 à n. 11 usque ad n. 46.* ad quem temporis redimendi & chartæ parcendæ causa, me remissum volo. *Add. insuper Rumel. ad A. B. par. 1. diss 2. th. 9. Dn Carpzov. disp feud. 7. quæst. 3. p. m. 578. VVurmser. Exerc. 2. quæst. 8. D.* Dietrich *in not. ad. A. B. tit. 1. verb. emerserit, Dn. Limn. lib. 2. cap. 15. per tot. qui videantur.*

§. 28. Quartum convocationis hujus requisitum *s. § 9.* posui termini seu temporis expressionem. Tempus autem illud spectatur vel ratione instituendæ, vel ratione finiendæ electionis: Illud regulariter trium mensium spatio absolvitur. *A B. tit. 1. §.* Auch setzen und ordnen Wir ibi: innerhalb dreyen Monat nicht unterlässlich alle und jede Churfürsten zu Franckfurt am Mayn seyn &c. Hoc verò regulariter triginta dierum spatio finiri ex *A. B. tit. 2. §.* Wo aber Sie ibi: unter dreissig Tagen ohn unterlas zurechnen &c. assero, secus ac Dn. Brautlacht, qui *In Epit. suâ Prudentia publ. Univ. lib. 2. c. 1. n. 18.* tempus intra quod electio finiri debeat regulariter tres menses constituit, semetipsum tamen in *n. 30.* corrigens, ad triginta dies spatium electionis finiendæ restringit. Dixi tempus electionis instituendæ regulariter trium mensium spatio absolvi. Nam non sum nescius trimestre hoc, si id justa & urgens suadeat causa abbreviari & restringi posse: Si itaque tale Imperio immineat periculum quod longiorem moram haud patiatur, celeri festinatione ei obviandum puto: Certè consultius erit terminum præscriptum restringere, quàm gravi cum periculo Imperii eundem observare, præsertim cum hanc ipsam ob causam hic terminus præscriptus videatur ne ob longiores imperii vacationes id aliquid sentiat detrimenti. Hoc

tamen

tamen animadvertendum hujusce rei arbitrium neutiquam penes solum Moguntinum residere; Idque vel ex hoc unico planum fit, quod vacantis Imperii Vicariatus hodiè ad Bavarum & Electorem Saxoniæ pertineat. In consilium itaqve adhibendi serenissimi Imperii Vicarii, nisi soli Moguntino prædicti termini abbreviandi facultatem relinquentes, insimul ipsi potestatem Bavarum & Electorem Saxoniæ justæ caussæ prætextu Vicariatu privandi concedere velimus, quod tamen quàm à jure alienum sit nemo est, qui non intelligat. *Wurmser, Exerc. 2. quæst. 3. Arum. disc. 1. ad A B. thes. 31.*

§29. Restat nunc ut ad quintum & ultimum convocationis deveniamus requisitum, quod in determinatione loci consistit: Olim variis in locis electionem peragi solitam, ex relatione Impp. quorum Otto II. Aquisgrani. Henricus III. itidē Aquisgrani. Henricus. V. Wormatiæ Lotharius II. Moguntiæ, & Conradus Suevus Constantini electi fuère, patet. Verum cum pro arbitrio nec ullâ interdum necessitate alio atque alio loco electio perageretur. Carolus ad juris necessitatem rem redigere cupiens, certum locum seligendo tandem Francofurtum ad Moganum ad inserviendum futuræ Regis Rom. electioni præfixit, ut constat ex *A. B. tit. 25. §* Wier finden auch. ibi: daß einer Römischen Königs zu künfftigen Käysers Wahl begangen und geschehen in der Stadt Franckfurt an Mäyn/ und die erste Krönung zu Prag/ der erste Königliche Hoff zu Nürenberg in der Stad gehalten / darum erklären Wier aus besonderen ursachen / das zukünfftigen Zeiten ermeldte Dinge auch sollen gehalten werden. Hanc Civitatem superioribus seculis Francken-furcht fuisse appellatam, hodiè verò Urbanius dici Franckenvorde notat *Arumæus de Comit. c. 4. n. 15. p. m. 118.*

§. 30. Et ex hoc tempore regulariter Impp. Francofurti electos probat exemplum Wenceslai filii Caroli: IV. Ruperti Palatini, Alberti II. Friderici. III. Maximiliani. I. Caroli. V. Matthiæ & Ferdinandi II. docente & ex Historicis deducente *D. Carpz. disp. feud 1. quæst 5. p m. 551. & 552.* Nec resistit, quod neglecto A. B. præscripto electio Ferdinandi. I. Coloniæ. Maximiliani. II. verò & Rudolphi II. Ratisbonæ, ibique

Ferdi-

Ferdinandi III. ut & Ferdinandi, IV. peracta fuerit. Nam id non frustrà & citra urgentem causam factum arbitramur, nec contra tenorem B. nostræ credimus, quæ exceptionem rationabilem nequaquam excludit: Nam si periculum imperio adsignatio longioris termini allatura videbitur, non contra A. Bullam erit, si alio loco electio instituatur, siquidem ea permittit, existente legitimo impedimento, quale hoc haud dubiè est, locum mutari. *tit. 28. §. Invenimus.* Cœterum cum in iis, quæ à voluntate hominum dependent, adeoque & hoc in casu, haud subtiliter inquiri debeat ratio, cur scilicet placuerit Principes circa margines Moeni potiùs, quã littora Danubii aut ripas Oderæ hærere, hanc tamẽ capeeamque specialem, non solummodò benevolentiæ affectum, quo persecutus est Civitatem Francfurt Imp. Carolus IV. sed & singularem loci illius commoditatem ansam ei dedisse, sc. quia civitas Francofurt veluti centrum in medio posita perhibetur. *Dn. Carpz. d. loc.* Simillimam consulenti suppeditabit rationem *Dn. Arum. d. Comit. c. 4. n. 17. p. m. 160.* qui addit certum locũ ideò electioni præstitui debuisse, ne quando electionẽ repeti oporteat, omnia illa, quæ operosè semel præparata sunt, alibi magnis sumtibus conficere necesse sit, tum etiam quia mutatio cum indignatione Francofurtensium institueretur: Magni enim faciunt Provinciales conservari sibi consuetudines veteres & hujusmodi prærogativas, prout loquitur *Ulpian. l 4. § 5 ff. d. Off. Proconf:* Hæc de loco electionis interjecisse sufficiat.

§. 31. Quemadmodum verò alias Legalis Citationis (negotia privata concernentis) præcipuus effectus est comparitio. s. partis citatæ præsentia. *Gail. 1. O. 51. n. 1* ita & hæc convocatio eandem operatur: Et sicut legaliter citatus vel per se vel per suum legitimum procuratorem cùm sufficienti mandato tàm ad agendum, quàm respondendum comparere potest. *Gail. 1. O. 48. n. 1.* Ita & dicto modo evocatus Elector vel in propriâ personâ comparere potest (quam immediatam vocamus) vel Legales suos nuncios (quam mediatam paritionem appellitamus) transmittendi facultatem habet. A, B.

cit. 1.

tit. 1 §. auch setzen und ordnen Wir. ibi: alle und jede Churfürsten zu Franckfurt am Mäyn seyn/ oder ihre gesetzte Botschafften. Cum enim tàm variæ magnæq; occupationes & impedimenta, puncto temporis in omni licet salutari & placidâ gubernatione, improvisa, sapientiæ humanæ, gubernatorumquè præsentiam exposcentia, obtingere possint, nil mirum si Electoribus nuncios vice suâ ad electionis actum ablegare, ipsis verò domi manere licitum sit. R. A. zu Cölln de. Ao 1512. §. Es sollen auch die Churfürsten. Nec minus impedimentum permanens in Electoribus & Principibus ob negotiorum indies remeantium molem præsumitur. *Arum. de. Comit. cap 5 n. 44. Myler. in addit. ad Rumel. p. 1. diss. 2. th. 14. Lit. A.* Quin autem mediata ista comparitio adhuc vigeat nullus dubito. *Probat hoc exemplum Dn. Johannis Sigismundi (gloriosissimæ memoriæ) Electoris Brandenburgici, ad electionem Divi Matthiæ, Adamum Gansium, Dn. in Wolffeshagen, Putlitz & Wittenbergæ mittentis. Comprobat exemplum moderni Serenissimi ac Potentissimi DN. FRIDERICI WILHELMI, Electoris Brandenburgici, Patris Patriæ Augustissimi, Principis ac Domini mei Clementissimi, cui præter vitam longævam, regimen tranquille, ac felicitatem, quam exacta secula invideant, nostra tempora mirentur, ventura ætas veneretur, summum concedat Numen, ad moderni invictissimi Imperatoris Leopoldi electionem Dn. Raban de Canstein. Doctorem Portmannen & D. Fridericum de Jena &c. ablegantis.*

§. 32. Potest. a absens Elector uno plures mittere nuncios s. Legatos. *A. B. tit. 1. §.* und welcher Churfürst &c. ibi: oder seine Botschafften. *tit. 19. ibi:* Sie beyde oder einen jeden besonders/ zu unsern wahren und gewissen Gevolmächtigten anwälden und besondern Botschafften geordnet und gesetzet. Qui tamen num omnes in actu electionis ad voti explicationem admittendi? olim disceptatum fuit: Causam huic disputationi non modò mors Maximiliani I. sed & instituenda novi Regis, quam subsecuta Caroli V. electio, præbuit. Ad hanc electionem cum Ludovicus Rex Bohemiæ quatuor misisset Legatos, Ladislaum Sternebergum supremum Bohemiæ Cancellarium Christophorum de Schvvanenberg, Ratislaum de Bentz

nomen,& Jacobum de Wurzesenit, omnes ac singuli ad actum electionis anhelabant iu argumentum trahentes, quod Bulla nostra non unum, sed plures ablegare permittat Nuncios; frustrà verò ablegarentur, si deliberationibus interesse vetarentur. Sed parum testante Dn. Carpzov. *disp. feud 1. qu. 4. n. 12 p. m. 550. & 551.* effecerunt, unico tantummodo, nempe Ladislao Sternebergo ad deliberationem & electionem admisso. *Goldast.* in Politischen Reichshändeln *part. 1. tit. 17 fol 29 & 30.* Hoc quoque postea aliquoties ut & in Ferdinandi III. jam in fata concessi electione observatum est, ratione non obscurâ: Aut enim singuli eandem dicturi essent sententiam & quorsum hæc multiplicatio, aut diversas, & vis fieret A. Bullæ, quæ uni Electori unum concedit suffragium. *vid. Nobilisſ. Dn. Stranchius dissert. Exoter. 4. th. 25.*

§. 33. Præcipuè verò hi Legati mittendi sunt cum plenâ ac omnimodâ potestate. *A. B. tit 1.* §. Auch segen wir ibi: mit aller volkommenen Macht und Gewalt. Non itaque mandatum ad certam personam eligendam restringi debet, præsertim cum electionis vota non particularia, sed Collegialia esse debeant, ac ita collegialiter in ipso conventu præviâ diligenti deliberatione ferenda sint. *Reinking de R. S. & E. Lib 1. cl. 3. c. 3. n. 10. & 11. p. m. 205. VVurmser. Excerc. 2 concl. 5.* Videbatur quidem primâ fronte Legatum ad certæ personæ electionem adstrictum mitti posse *arg. text. in c. si quis justo. 46. §. porrò de Elect. in sexto* asserendum, præprimis cum ejus rei exemplum habeamus in Waldemaro Marchione Brandenburgensi, qui Nicolaum cognomine de Boock, strennum alioquin militem, cum literis diplomate munitis ac corroboratis, Principum congregationi, nuntium misit, cum ipse venire nollet, aut non posset, Fridericum Regem suo suffragio constituens: Miles a. is quod nihil se speraret à Friderico consecuturum, simul etiam quod plurium animos in Ludovicum cerneret inclinatos, abrasâ membranâ expunctoque nomine Friderici, Ludovicum substituit contra Domini sui voluntatem, literis adulteratis. Hunc tamen carceris detentione & capitis amputatione, poenam admisso suo dignam luisse, scri-

scribant, *Arum. de Comit. cap. 7. n. 58 p. m. 513. Rumel. ad A. B. p. 2. diss. 6 th. 15.*) Attamen cum ejusmodi mandatum â formâ in *A. B. tit 19.* præscriptâ & præcisè observandâ planè alienum sit, utpotè quod procuratori plenam liberam, & omnimodam potestatem eligendi adimit, eumq; ad certam personam adstringit, utique hoc textu inspecto aliud dicendum erit, eique tamdiu inhærendum donec consuetudine aliud receptum esse appareat. Ad allatum exemplum quod attinet, id perperam â nonnullis pro contrariâ stadiliendâ sententiâ adducitur, cum ante promulgationem A. Bullæ contigerit. Quid verô est quod Autor Relationis Electionis Ferdinandi IV. §. 7 dicit, affirmâsse Serenissimi ac Potentissimi Electoris Brandenburgici Friderici Wilhelmi Legatum Dn. Baronem de Blumenthal, se in mandatis expressis habere ut voveat pro Rege Austriaco? Nimirùm potest quis mandato instructus esse generali, cui nihil ominus tandem inserta sit certa persona & familia. *Dn. D. Dietrich in not. ad A. B. tit. 1. §. prætereà verb: cum plenâ ac omnimodâ potestate:*

§. 34. Similiter non adeò dubium esse credo *cum Nobiliss. Dn. Strauchio c. loc.* suffragiũ in literis mitti nõ oportere. A. Bulla enim. 1. requirit aut Electoris citati præsentiam, aut legationem. *t. 1.* §. und welcher Churfürst. Idq; vel propterea, quia Electoris est non tantũ eligere sed & consultare quod fieri per literas non potest. Deinde. 2. juramentum ante Electionem non potest sic rectè præstari *per tit. 2 §.* 1. Deniq; 3. Electionis hoc singulare jus est, ut non nisi vivâ voce fieri possit. *cap. quia propter de Elect. Bôerius decis. 1. n. 25. & 37.* Non tamen desunt exempla votorum per literas & quidem ante A. B. promulgationem transmissorum.

§. 35. Præterea notandum hîc est, quod si Elector legitimè citatus neque copiam sui faciat, neque Legatorum idoneè instructorum præsentiâ actum hunc electionis condecorare studeat, istâ vice privetur voce electionis. *A B tit. 1. §.* und welcher Churfürst. Absentium siquidem legitimè vocatorum ratio non habetur, adeò, ut præsentes eorum absentiâ non obstante electionis actum perficere possint; *l. rescriptum. ff. de*

 pact.

pact. VVesenb. in ~. ff. quod cujusque universit. n. 4. R. A. zu Speyr ic *de Anno* 1529. §. und damit eine solche in f. R. A. zu Regensb. *de Anno* 1541. §. Wir auch Churfürsten/ Fürsten: ibi: wo aber Jemand ungehorsam/ und zu solchem Tag die seinen nicht Abfertigen würde/ so sollen nichts destoweniger die Erscheinenden im Handel fortfahren/und waß die Nothurfft erfodert bedencken/berathschlagen und schliessen/ *& in* §. *seq.* und was Also beschlossen und verkündet/ das sollen die Abwesenden gleichwohl wie andere zu halten und Zuvollenziehen schuldig seyn. Vel siquidem per se aut idoneum comparеat, ante tamen finitam electionem recedat, pro istâ vice vocem & votum perdit: Si verò Elector tardiùs, ante tamen finitam electionem veniat, in eo statu admitti debet, in quo est electio adventus sui tempore. *A. B. tit. 2. §.* wen aber Sie oder Ihrer mehr in fin.

§. 36. Transitum nunc facimus ad jus conducendi f. salvum conductum Electoribus ad electionis actû proficiscentibus præstandum, cui *S.* §. 3. locum secundum inter electionem antecedentia assignavimus. Est a. Salvus conductus f. jus conducendi, quod Bulla *tit. 1.* describit die Hohe geläits Gerechtigkeit/nihil aliud quàm publica & inviolabilis securitas â statibus Imperii secundum præscriptum A. Bullæ, præstanda Electoribus vel eorum nunciis ad electionis actum proficiscentibus, eorumque territoria ac ac ditiones transeuntibus, quâ mediante securi & inviolabiles ad locum electionis venire, & redire ad suos queant. *Myler. in addit. ad Rumel. p. 1. diss. 2. th. 2.* Transitus autem innoxius præstatur vel præsidio dato, vel diplomate. Illud germ: das Lebendige hoc das Schrifftliche geläit appellatur *Dn. D. Dietrich in not. ad A. B. tit. 1. §. ad præmissorum. verbis literis & juramentis.*

§. 37. Præstandus itaque est salvus conductus *(quem DD. barbaro vocabulo Salvam guardiam vocant. Myrsing: l. O. 82. p. m. 64.)* Electoribus ad electionis actum sese accingentibus eorumque nunciis. *A. B. tit. 1. §. 1.* Ad hujus a. præstationem non modò Elector suo Cõelectori tenetur: nec audiendus est si quis ob ullas contentiones, controversias aut dissensiones, si quæ fortè ipsi cum Cõelectori suo intercedant, â prædicti salvi con-

ductus

ductus præstatione sese excusare præsumat. *A. B. tit. 1. §.* Ob aber ein Churfürst. Nec non omnes quoque alii Principes feuda â S. R. I. tenentes, ut & Comites, Barones, Milites, Clientes, Nobiles & ignobiles, nec quicquam talem conductum remorari debet ulla discordia aut gverra quam cum Electore aut Electoribus habent. *d. tit. 1. §.* Ob aber ein Churfürst. ibi: wo auch Etliche andere Fürsten. Sed & cives ac communitates castrorum, civitatum & locorum Sacri Imperii; nec â prædicto salvo conductu ullam excusationem præbent inimicitiæ, si quas cum uno aut pluribus ex Electoribus gererent. *d. tit. 1. §.* Ob aber ibi: Wo aber auch etliche andere Churfürsten etc. Ille quidem sub poenâ perjurii ac amissionis sui voti quod illâ vice habiturus fuisset in electione *de tit. 1.* Isti autem non modò sub perjurii poenâ, sed & privationis omnium possessionum & feudorum ab imperio aut aliunde obtentorum: Quâ eâdem poenâ tenentur si Electorum alicui aut eorundem nunciis ad electionem euntibus, aut ab eâdem redeuntibus, hostiles custodias tendere s. insidias parare aut damnum dare præsumserint. *d. tit. 1. §.* und setzen darauff. ibi: und welcher Fürst. Hi verò itidem sub poenâ perjurii & privationis universorum suorum jurium, libertatum, privilegiorum ac gratiarum â sacro Imperio obtentarum, cum banno & proscriptione imperiali. *d. tit. 1. §.* und setzen darauff ibi: alle Bürger. Quam poenam quoque incurrunt si præter structas prædicto modo insidias, ad victum necessaria solito pretio suppeditare recusârint, aut aliquam fraudem hâc in re adhibuerint. *d. tit. 1. §.* setzen darauf ibi. Wier erkennen und gebieten auch darauf.

§. 38. Cum verò effectus juris conducendi consistat in eo, quod conducens teneatur defendere eum quem conducit & ab omni violentiâ ac injuriâ conservare tutum, R. A. *de Anno* 1559. §. damit den. &c. proindeque conducens ad damni perpessi refusionem obstrictus sit. *Gail. 2. O. 64.* Quæstionis est, Num Electoribus eorumve nunciis etiam per viam insolitam euntibus, talis conductus præstandus sit adeò, ut si spoliati fuerint, damni emendationem â domino territorii jure petere queant? Hanc quæstionem quidam hâc distinctione deter-

 minant

minant ita, aut quis conductum petiit, viamque quâ transire velit significavit, aut non: Priori casu cum omnes imperii subjecti Electoribus aut eorum nunciis ad electionis actum per terras & territoria eorundem euntibus indistinctè conductum præstare cogantur *d. tit. 1.* §. solche Vorgeschriebene Constitution *ibi:* durch sein Land und Gebiete. Ergò & per viam insolitam proficiscenti, quoniam & ea est in territorio eorum, & si spoliati fuerint, damnum resarcire tenentur. Et hoc tantò magis dicendum videtur, cum haut verisimile sit, quod Elector talem conductum postularet per viam insolitam, ni suas hinc haberet commoditates, quæ ipsi utique adimendæ non sunt. Multa n. occurrere possunt ob quæ Elector & nuncius Electoris malit per viam insolitam quam Regiam ire, vel quia illa compendiosior sit, aut etiam facilior vel commodior vel etiam tutior ipsi: Quæ sanè comoditates, si damni emandationem petere non posset, ipsi præciderentur; & securitatis prior, quàm decoris, habenda est ratio. Et quamvis Dd. velint viam solitam per insolitam non esse deserendam; tamen hoc si via insolita vel inusitata magis foret tuta claudicat. Posteriori casu, si conductum petere negligat ac nihilominus fines viæ solitæ transileat suo periculo hoc faciat, adeoque spoliatus habeat, quod sibi imputet, nec emendationem damni â domino territorii petere possit, per ea quæ tradunt. *Arum. disc. 1. ad A. B. th. 22. Gail. 2. O. 46. n. 11. Mynsing 5. Obs. 70. n. 4. Conf. Arum. de Comit. c. 5. n. 56. & seqq. Rumelin. ad A. B. p. 1. diss. 2. th. 8.*

§. 19 Quidam verò non multis ab hinc annis notas suas ad A. B. conscriptas typis qui credidit indistinctè dominum territorii ad emendationem damni perpessi teneri, sive Princeps Elector sive ipsius Nuncii conductum petierint, sive non exegerint, motus *A. B. tit. 1.* §. setzen darauf *inf. ibi:* Sie hätten Gelaite begehret/ oder nicht genommen/ constanter asserit, contraque Arumæum, qui *de Comit. c. 5. n. 56. & seqq & in disc. 1. ad A B. th. 22.* ex intermissione non petiti conductus dominum non teneri ad refusionem damni perpessi docuit, defendere nititur. Nec quicquam suffragari Arumæo, dicit, textum *A. B. tit. 1. §.*

tit. 1 §. Aber wir Wellen/ qui ita habet. Aber wir Wollen und se-tzen klärlich das ein jeder Churfürst der ein solches Gelait haben will/ denjenigen/ davon Er es zu haben begehret/ dasselbe also Zeitlich auch den Weg dadurch Er ziehen wolte Verkunde und solch Gelait erfordern soll. ect. hâc suffultus ratione, quod arbitrio Electoris in §. d. tit. 1. relinquatur, velitne conductum petere, & quidem eo fine ut requisitus ad conductū pro Electoris dignitate commodè se præparare possit. Verùm si textum penitius introspiciamus reperiemus ibi verba und solch Gelait erfordern soll/ quod verbum soll/ importat necessitatem obligationis. *Reink. l. 1. Cl. 1. c. 5 n. 51.* quî itaque dici poterit, arbitrio Electoris relictum esse utrum conductum petere velit necne. Sed hîc infirmum meum, & alias quod agnosco debile, quiescere volo judicium.

§. 40. Hîc tamen haud prætereundum duxi hodiè ob firmatam pacem publicam in imperio, vulgò Landfriede/ conductum Electorum tàm accuratè in A. B. præscriptum, in desuetudinem ferè abiisse, teste Marquardo Frehero *de tut. curaque testam. c. 12.*

§. 41. Comitatum Principum Electorum, ut paucis mentionem ejus injiciamus, quod attinet de eo â Carolo IV. in *A. B. tit. 1. §.* wen es darzu kommen: dispositum, ut unusquisq; Elector, vel Nuncii eorum ad Comitia, Regis Rom: eligendi causâ, instituta, non plus quàm ducentis equitibus, in quibus, 50. tantùm armati esse debeant, veniat: Et salubris hæc Constitutio, non modò civitatis Francofurtensis, sed & Principum Electorum insigne commodum respicit: Ex parte illius hæc, ne aliis nimium oneretur civitas, sed tantò facilius tumultum subortum queant compescere cives, dari potest: Horum quidem ne magno stipati comitatu facultates ærarii exhauriant; quò pluribus enim oneratus quis Comitibus proficiscitur, tanto minore pecuniarum pondere premitur: Hæc namque generalis Regula est: Ubi iter longinquum & comitatus numerosus est, marsupium laxius reddi necesse est. *Anton. de Guevara Horolog. Princip. lib. 2. c. 29, p. m. 344.* Quemadmodum verò A. Bullæ quoad certa capita in aliquid derogatum

itâ

ita eam etiam quoad hunc articulum, solitum suum haud obtinere vigorem, constat ex electione Maximiliani II. Anno 1562. celebratâ: Hanc etenim præsentiâ suâ condecorantes Principes EE. Francofurtum ingressi sunt, & quidem Moguntinus 360. Palatinus, 364. Saxo. 803. & Brandeburgicus. 452. equitibus, referente *Doctore Dietrich. in not. ad A. B tit. 1 §. debet autem.* Et super hoc quoque dispensare modernam observantiam novissimè statuit, *Dn. Spreng. in suâ Iprud publ. pag. 158.*

§. 42. Paucis nunc de juramento quod civibus Francofurtensibus præstandum incumbit, videbimus: Et ingressi civitatem prædictam ipsi Electores vel eorum Nuncii, aut ipso ingressus sui die, aut etiam sequente adventum suum Directorio Moguntino intimant: Legati sua eidem mandata mittunt quæ inprimis nomen tàm domini constituentis, quâm Procuratoris constituti, item designationem causæ ob quam, & expressionem actuum ad quos Procurator est electus, quin & clausulam substituendi & ratū habendi quicquid Procurator vel ejus substitutus in negotio electionis gesserit, continere debent. Quo facto priusquam ad electionem accedant, pridiè vel aliquot ante dies, juramentum ut vocant securitatis à civibus Francofurtens. præstandum exigitur, quibus tamen die præcedente, ante præstationem juramenti per scribam civitatis, indicitur dies, locus & hora juramenti præstandi: Statuto die veniunt in Curiam Electores, ibique in atrio majori sedes suas per latera occupant in subselliis nigro serico obductis; vocantur civitatis Scultetus, Scabini, Senatores cum Syndicis, ubi comparuerunt Cancellarius Moguntinus comparitionis causam indicat, & postea suo Electori nomine totius Collegii Electoralis jurare jubet, prælegit juramentum, sicq; ubi præstiterunt, abeundi licentiam concedit: Eunt ex subselliis Electores ad fenestras rubro serico vestitas, & postquam consederunt descendit Cacellarius ad valvas Curiæ, stant eum illo deputati cujuslibet Electoris, facto comparitionis indicio, juramentum prælegit, omnes & singuli cives & incolæ nullâ hîc honoratiorum & Doctorum & Patriciorum habitâ differentiâ in suos Capitaneatus divisi, insimul erectis

digitis

consona voce jurant; secedentibus autem his succedunt milites, idemq; juramentum solvunt.

§. 43. Vigore autem hujus juramenti, injungitur (1) ipsis, ut omnes EE. & quemlibet eorum fideli studio & solerti diligentiâ protegant & defendant, idq; sub pœnâ perjurii ac banni Imperialis, adeoq; amissionis omniũ jurium, Libertatum, Privilegiorum, gratiarum & indultorum â S. Imperio obtentorum. A. B. *tit. 1.* §. Wir befehlen &c. (2.) ut toto electionis tempore, nòn solùm neminem (exceptis videl. Electoribus, eorum nunciis, prædictoque comitatu) in urbem intromittant, sed & intromissos sine morâ expellant, idq; sub prædictis pœnis. §. Die vorgenante *d. tit. 1.* Quod quamvis ob repugnantiam externorum Legatorum & Principum ad conventum deputatorum in novissimâ invictissimi Imperatoris Leopoldi electione omissum sit, concessâ exterorum Regum Legatis & aliis sive Principibus, sive Principum Legatis, manendi in urbe licentiâ, ad evitandam tamen A. Bullæ contrariam consequentiam certis super id reversalibus novissimæ Capitulationi Leopoldinæ insertis, cautum est. *Dn. Sprenger. p. m. 159.* & extat hanc in rem Collegii Electoralis Decretum, keine fremde personas publicas in die Wahlstatt zu lassen; quod sequenti tenore subjicio. Ob wohl ein hochlöbl. Churfürstl. Collegium aus sonderbahren erheblichen Ursachen/vor dißmahl hat geschehen lassen/ daß so wohl außwärtiger Potentaten und Republiquen Bottschafften/ Gesandten und Abgeordneten/ als auch andere allerhand Standes Personæ publicæ bey jetziger währender Capitulations- und andern zu der Wahl gehörenden deliberationibus sich allhier in Franckfurt am Mäyen aufgehalten/so solte doch solches ins künfftige von niemands wes Standes oder Würden Er sey in Consequentz gezogen/ oder aber wider die Güldene Bull die Churfürstliche Præeminentz und diesem Fall zustehenden sonderbahren Rechts allegiret oder gemißdeütet werden/ gestalten den der Rath / Bürgerschafft und gantze Stadt Franckfurt so wohl/ als auch andere Reichs-Städte/ bey welchen in entstehenden Fall hinführo Wahl-Täge angestellet und gehalten werden möchten/hiemit alles Ernstes und ausdrücklich bey Vermeidung der deshalb in der güldenen Bull gesetzten

ten Straff und Poen erinnert/ und verwarnet werden/ daß Sie ins künfftig/ wann ein Wahltag außgeschrieben seyn wird/ausserhalb die Herren Chur Fürsten/ und welche sich in deroselben Suiten zu würcklichen Dienste und Auffwartung befinden werden / keine personas publicas, sie seyn wer sie wollen/ außwärtige/ oder zum Heyl. Römischen Reich gehörige einlassen / noch Ihnen bey annahenden Wahl-termin Auffenthalt verstatten sollen / deme sie allerseits also nachzukommen / und sich vor ietzt gedachter Straffe zu hüten wissen werden etc. Geschehen zu Franckfurt am Mäyn den 27. Junij 1658. Hactenus de primo dixisse sufficiat, sequitur,

MEMBRUM SECUNDUM.

§. 1.

VIsis itaque iis, quæ electionem antecedere solent, accedo nunc ad electionem concomitantia, ubi notanda (1.) Missæ celebratio (2.) Juramenti ab Electoribus præstatio, & (3.) seria & diligens de electione perficiendâ deliberatio. De singulis quid monebo.

§. 2. Primo idcircò loco perpendenda venit missæ celebratio, quæ in sacrario Bartholomæi. A. B. *tit. 2. §. 1.* peragenda, hunc in finem ut Spiritus S. illustret corda E. E. eorumq; sensibus lumen virtutis suæ infundat, quô ejus suffulti præsidiô eligere valeant hominem idoneum, & pro salute populi Christiani in Regem Romanorum futurumq; Imperatorem. Hæc autem missæ celebratio ex omnium gentium propriâ devotione originem secundum Platonem teste Rhodigino *in præfat. lib. 1. antiq. lect. p. 1.* trahere videtur, qui scribit, Omnes qui modò mente constiterunt in rei cujuslibet exordio ad numinis opem decurrere consuevisse. Idem propterea secutus Plato *lib. 4. de LL.* Deum in Civitatis constitutione inprimis invocat, sciebat enim nihil rectè inchoari nisi post Deum faveret Imperator. *Veget. lib. 1. de arr. milit.* Undè etiam est quod Imperator Justinianus Institutiones suas à divini nominis invocatione auspicari, & ad omnia consilia omnesq; actus in nomine Domini nostri JESU CHRISTI semper progredi voluerit. *l. 2. in pr. C. de off. Præf. Afr.* rectè sibi persuasum habens

habens benè & competenter universa geri, si rei cujusq; principium decens & amabile sit Deo. *Nov. 6. in pr.* Cum itaque nulla difficilior deliberatio de ullâ re humanâ incidere possit, quam de Imperatore eligendo. *Carpz. de Leg. Reg. c. 11. sect 7. n. 1.* nullibi quoque magis ope divinâ opus esse dicendum est.

§. 3. Verùm quamvis Pontificii Missæ celebrationem de substantiâ electionis arbitrentur, eâque omissâ electionem vitiari scribant *veluti ex Friderico Marco decis. 1150. part. 1. probat. Dn. Arum de Comit. c. 7. n. 6. p. m. 437.* omniumq; EE. præsentiam in A. B. *tit. 2. in pr.* Carolus IV. desideret Imperator; Nihilominus tamen cum Protestantes Electores ex verbo Dei cultum omnem extra verbum Dei, & sine verbo Dei, & quidem talem, cui tribuatur propitiatio pro peccatis, placatio offensi Dei & impetratio gratiæ, aliorumq; beneficiorum â Deo, vanum esse, talemque missæ actum esse, cognoscere cœperunt. *Chemnit. in part. 2. Exam. Concil. Trident. tit. de Missâ,* Pontificios quidem suis ritibus vivere siverunt, eandemque missam fecerunt, interim durante illâ sese in proximum conclave recipientes. Quapropter in Comitiis Electorum quibus Maximilianus II. & Matthias Imperatores eligendi essent, suffraganeo Moguntino Missam celebrare incipiente, Palatinus, Saxo, Brandeburgicus (quoad posteriorem Brandeburgici Legatus) ex choro in proximum conclave discesserunt, inibi donec ad coronidem Missa deducta esset, permanentes, insequentibus eos Wilhelmo Landgravio Juniore, Georgio Palatino, Francisco Lauenburgico, Anhaltino, aliisq; cum pluribus unâ cum suis Consiliariis Principibus & Ducibus: Idemque in electione Ferdinandi III. à Legatis Saxonicis factum fuisse testatum facit. *Dn. Carpz. d. loc. n. 9. & 10.*

§. 4. Quin tamen Electores Evangelici salvâ conscientiâ Missæ interesse possint, non ambigo. Et hoc ideò maximè, cum requisiti ad officium politicum præstandum, non verò religionis profitendæ causâ adsint. Facit hûc Responsum Balthasaris Biedembachs / Concionatoris Aulici Würtembergici, quod Johanni Electori Saxoniæ cum ipsi in Comitiis Augustanis de Anno 1530. ut Imperatori de more ad Missam eunti

 gladium

gladium præferret injungeretur, hâc de re requisitûs dedit, cujus tenor ap. Dn. Arum: *de comit. c. 7. n 9.* extat: Cautè tamen hâc in re agendum esse, præviâ scil. imploratione Majestatis Cæsareæ de absentatione permittendâ, vel si hæc obtinere nequeat, præmissâ protestatione expressâ, quod non nisi officii politici ac debiti ratione interesse velint, dictus monet Bidembachius. Et sic hodiè à tempore Ferdinandi IV Regis Rom. Principes Electores missæ cohabitâsse, docet *Sprenger. p. m. 160.*

§. 5. Missam peractam insequitur juramentum ab Electoribus præstandum, cujus formula in A. B. *tit. 2. §. 2.* reperire est. Hoc autem ab omnibus & singulis EE. tàm Ecclesiasticis quàm secularibus præstandũ est, modo licet diverso. Nam Principes Electores Ecclesiastici coram Evangelio B. Johannis. IN PRINCIPIO ERAT VERBUM, quod ante ipsos poni debet, manus suas pectori superponentes cum reverentiâ juramentum solvunt. Principes EE. Seculares verò Evangelium Johannis manibus suis corporaliter tangendo præscriptam & conceptam in formulam jurant. Hanc verò tactionem esse loco symboli, ut in testamento æs & libra, quo jurantes moneantur, se non tâm judici, quam Deo juramentum præstare, nec tàm in humano quàm cœlesti judicio versari, ex Obrecht. *de juram. calumn. c. 10. n. 17.* deducit Dn. Limn. *lib. 2. cap. 1. n. 42.* qui *n. 34.* addit; aliàs in secularibus vulgatissimum jurandi ritum esse ut mares dextræ digitos, indicem & medium reliquis contractis porrigant; fœminæ verò dextram pectori vel cordi aut mammillæ sinistræ applicent, quod etiam tradit *Magnificus, Nobilissimus, Amplissimus, Consultissimus atque Excellentissimus Dn. Christophorus Philippus* Richter/ *JCtus & Antecessor in Salanâ nostrâ famigeratissimâ famigeratissimus, Comes & Palatinee non Jurid. Facult. Ordinarius longè meritissimus Dn. Patronus, Promotor ac Præceptor meus aviternum deveneranduus, colendus. p. 2. decis. 93. n. 28. p. m. 570.* Priores verò elevatos digitos unâ cum pollice nonnulli SS. Trinitatem, reliquos duos autem depressos corpus & animam hominis designare arbitrantur, quasi pejerans dicat, si sciens fallo SS. Trias à communione omni-

um

um Sanctorū me excludat corpore & animâ. Quod tamen rectè displicet *Jacobo Ebert. in Tr. Ethic. de juram.* Cum ritus hujus authores SS. Trinitatem non agnoverint, sed gentiles fuerint: hinc ipse arbitratur indicem elevari, aut sacris imponi, quod, quem sermonis sui testem vocat, eundem vindicem velit, si fallat: medium ut mentis atque affectuum ostendatur integritas, quod mediâ incedens viâ verum afferat; Jungi verò utramque, ut significetur copulatio jurantis, & consensus cum eo per quem jurat. *Dn. Limn. cit. loc.*

§. 6. De cœtero cum constet juramentum esse speciem cultûs divini. *Hillig. ad Donell. lib. 14. c. 13. lit. F.* & (1.) per verum Deum, non autem Deastros. (2.) per solum Deum esse jurandum non autem per creaturas nec per Angelos, aut sanctos licitum sit jurare *Nobiliss. atque Excellent. Dn Struve Exerc. 17. th. 5.* meritò Principes EE. Evangelici â formula juramenti iu A. B. præscripta, non quidem in totum, sed quoad certam ejus partem secessum fecêre. Hinc cum Anno 1562. Electores Francofurti convenissent Regem Rom: electuri expunctis ex juramento verbis, und alle Heiligen/ substitutâ hâc formulâ, und sein heiliges Evangelium / ipsum juramentum præstitisse. *ap. Limn. lib. 2. c. 3. n. 49.* legitur: Nam prædicta si retineretur formula, So wahr mir Gott helffe und alle Heiligen/ aut in testimonium vocarentur sancti, aut in auxilium, & utroque modo idololatria committeretur, illo n. modo tribueremus illis omnipræsentiam & omniscientiam; hoc modo omnipotentiam, quod absurdum.

§. 7. Ordo in præstando hoc juramento observandus, quamvis in A. B. non exprimatur, ita tamen hactenus observatum esse, ut Moguntinus primum juret in manus Trevirensis posteaque â cœteris Moguntinus juxta ordinem exigat juramentum â Trevirensi, Coloniensi, Rege Bohemiæ, Bavaro, Saxone, Brandenburgico & Palatino, tradunt Limn. *lib. 2. c. 3. n. 52. & Sprenger p. m. 160.*

§. 8. Num verò hoc juramentum Electoribus sibi invicem remittere sit concessum controvertitur? Negativæ adhæreo sententiæ, hisce motus rationibus (1) quod cum sibi invi-

cemElectores non præscripserint, etiam illud pro lubitu mutare nequeant (2) cum tale juramentū propter universam publicam Romani Imperii salutem promovendam sit introductum hinc Principes Electores illi non possunt renunciare aut contra venire, cum hoc non sit in eorum potestate. Et non modò in solo Rom: Imperio sed ubicunque legitima usurpatur electio adigi solent Electores jurejurando ut eligant quem omnium dignissimum putent. Sic Cardinales vigore Bullæ Julii II. Sic Nobiles Daniæ, Poloniæque Palatini jurant, priusquam ad novi Principis admittuntur electionem. *Rumel:n. ad A. B. p: 1. diss. 3. th. 6.* (3) Pertinet juramentum hoc ad substantialia & formalia electionis *Goeden. Consil. 1. n. 7. Sim. Pistor. Consil. 1. n. 31.* ubi dicit, non posse validam manere electionem, hoc juramento non observato, cum forma det esse rei.

§. 9. Progrediendo certam pessum ituri imperii pono notam *ex Vopisco in Aurel: cum Arnisao doctr. polit. lib. 1. c. 13. p. m. 136.* Si Magistratus sint venales, quò etiam respexisse videtur autor Bullæ quæ nobis Aurea dicitur, *tit. 2. §. 2.* saluberrimè constituens, ut Electores secundum fidem juramenti, vocem suam & votum in electionis actu dent, absque omni pacto, stipendio, precio vel promisso, seu quocunque modo talia valeant appellari: Quam constitutionem apprimè observavit Fridericus Elector Saxoniæ qui cum sibi delatum imperium ad Carolum V. suffragio suo transtulisset, â Caroli Legatis triginta millia florenorum oblata constantissimè rejecit, cumque urgeretur & instarent Legati, ut tantum decem millia pateretur inter ministros distribui: Accipiant, inquit, si velint, attamen nemo manebit postridiè apud me, qui vel aureum acceperit, ac postridie conscensis equis subduxit sese, ne ulteriorem crearent molestiam. Non tamen excluduntur hoc juramento Xenia ordinaria quæ usu ac longævâ consuetudine firmata sunt ac demum peractâ electione Electoribus & eorū ministris debentur quasi in remunerationem impensarum & laboris: *Dn. Limn. in annotam. ad proœm. Capit. Caroli V. verb.* durch die Wahl *n. 21.* Sic olim quoque ante tempora Caroli IV. qui Bullæ autor singulis Electoribus, post electionem

onem peractam solvendæ erant quater mille & quingentæ libræ argenti, ut patet ex literis Alberti Electoris Saxoniæ A o 1219. scriptis, um assecuration von wegen der 4500. pfund Silbers so einen jeden Churfürsten nach der Wahl gebühren *vid. Goldast.* in Polit. Reichshändel, *part. 1. tit. 2.* Et hoc A. Bullâ immutatum non fuisse vel indè colligimus, quod illa solum loquatur de tempore quod antecedit, non insequitur electionem.

§. 10. Occasione juramenti cujus *S. §. 5.* mentionem fecimus hic paululum in personam eligendam inquirere lubet, quæ ut sit idonea s. habilis necesse est; Hæc a. habilitas considerari potest vel. I. ratione sexûs vel (2) ratione qualitatum animi vel (3) ratione statûs, vel (4) ratione conditionis personae vel (5) ratione ætatis, vel denique (6) ratione originis s. nationis.

§. 11. Ratione sexus sit masculus, non foemina, quam *Arist. lib. 2. de gener. animal. 3.* animal occasionatum vocat: non enim ad imperandum sed parendum natæ sunt foeminæ *Arnis. lib. 1. doctr. polit. c. 3. p. 39. col. 2.* & ita naturalis fert ratio, ut serviant foeminæ viris *Dn. Libenthall. in Colleg. Polit. Exerc. 6. quest. 5. p. m. 161.* & quis quæso generosioris spiritus muliebre patienter ferat imperium? & quam domi habet subditam, foris agnoscat superiorem. Præterea etiam ab omni officio civili removetur fæmina tam per jus civile *in l. 2 ff. de R. J. l. 12. de judic. & passim.* quam Divinum *Genes. 3. v. 16. 1. Tim. 2. v. 11. ubi* D. Paulus dominium illis planè surripuit, & eas admonet, ut sua agant: atque ideò comam mulieribus esse nutriendam ut signum subjectionis haberent dicitur. *in cap. quæcunque dist. 30.* quamvis ejus rei alia afferatur ratio, nempe comam illis ideò non amputandam ut haberent mariti aliquid quo uxores traherent & ligarent *Tiraquell. lib. 1. connub. pag 4.* Arceantur deniq; foeminæ, cum destituantur necessariis ad imperandum requisitis, debile enim & imbecille est consilium mulierum, tenue judicium, intellectus planè exilis. Proindè imperans animi constantiâ polleat, opus est, maximum enim malum est, si Polypus & in quasvis mutetur formas. Atque animo muliebri

nihil

nihil reperitur inconstantius. Hinc varium & mutabile semper foemina, verissimè dicit Poëta, & *Bl.* quod ter in una mutetur hora. *l. ult. C de suis & legit.* Hinc veteres fortunam fluxam & vacillantem pingi voluerunt, habitu muliebri. *Galen. in exercit. ad art. bon.* Praeterea constat naturam foeminis vim, robur ac fortitudinem denegasse hinc ut plurimum fragilitatibus & infirmitatibus laborant! Sunt plenae rimarum, loquaces, garriloquae, usque adeò rara avis est in terris foemina, quae fidei concredita non propalet ut eleganter *Bl.* loquitur *in l quoties C. de suis & leg:* Et meritò, inquit, illa *ap: Plaut. in Aulular.* loquaces omnes habemur, nec mutam repertam ullam esse hodiè dicunt mulierem ullo in seculo. Nec desunt exempla foeminarum ad Reip: gubernacula admotarum, rem malè tamen gerentium, quae hic attingere & prolixius persequi mei non est instituti, nec temporis patitur angustia. Et quamvis nulli praeclusa sit virtus, quae nec Sexum nec censum eligit *juxta Senec. epist. 3.* & interdum natura foeminam solertem, industria literatam, educatio piam, experientia sapientem reddat, sicuti suo exemplo demonstravit nobilis Bruti uxor nomine Portia, Elisabetha Angliae Regina, & Olympia Morata, quae & ingenii acumine & memoriae tenacitate praevalebant, & hoc nostro seculo satis testantur Christina Sueciae quondam Regina & Maria à Schurman in omni literarum genere versatissima: Illud tamen rarò fit, de illis verò quae rarò fiunt non possunt leges publicari, nec ea ad consequentiam trahenda. *l. 3. ff. de LL.*

§. 12. Ratione qualitatum animi idoneitas personae spectari potest. Si (1) sit prudens. Prudentia enim Principi per necessaria est, sine quâ nec imperium gubernare, nec Reip: clavū regere, nec potentiā suam conservare potest, cujus beneficio refractarios & jugi impatientes domat, hostes expellit, & suos instar parentis defendit, omniaq; in illorum commoda convertit: Nec ulla major est Reip: pestis, quam sapientiâ prudentiâque gubernatorem destitui, *Guevara in horolog. Princ. lib. 1. c. 21. p. m 77.* Consistit autem haec principaliter in consiliis sine quibus nec regna, nec civitates prosperū habuerunt imperium

perium. *Saluſt. in Orat. ad Cæſar.* Magna enim negotia magnis egent adjutoribus. *Vellej. Paterc. lib. 2.* Cum igitur Princeps ſuâ ſcientiâ non omnia poſſit complecti, nihil propriâ authoritate agat, ſed omnia quæ videlicet Remp: concernunt deliberanda proponat: *l. humanum. 8. C. de LL.* Conſiliarios prudentiâ inſignes, virtute & tranquillitate celebres in partem curarum aſſumat. Dico *prudentiâ inſignes*; hi etenim imperii fundamentum, ſicut contra imperiti aulæ dedecora ſunt & ruina. Sic Sapientum penuriâ Conſiliariorum, innumeros Reges & regna plurima vidimus deſolari, inquit *Guevara lib. 1. c. 43. p. m. 190.* Non itaque Principes & Magnates tàm ſolliciti ſint in quærendis Medicis optimis ad curam corporis, quàm in quærendis viris ſapientibus, ad gubernationem regnorum. Medici namque penuriâ unus homo periclitari poteſt: At viri ſapientis penuriâ magna invehi in populum poteſt diſcordia. Etenim gliſcente aliquo inter cives tumultu plus unicum prodeſt conſilium maturum, quam centum de Rhabarbaro purgationes. *Anton de Guevara d. loc.* Hæc de primâ animi qualitate, quæ in imperaturo requiritur.

§. 13. Sit (3.) Religioſus & pietate præditus. Hanc namq; legem Prienæis â Biante datam: Qui Prienenſium Princeps futurus eſt, religioſus eſto, Deorum immortalium cultor & ædium ſacrarum patronus ſummus, *ap. Anton. de Guevara lib. 1 c. 21, p. 77. legimus*: Alioqui enim ſi Deos Princeps parum reverenter habeat, non eſt quod homines juſtitiam ab eo ſe impetraturos ſperent. Non diſſimilem legem quoad pietatem idem Bias iisdem Prienæis, hunc in modum conceptam tulit. Prienenſium gubernator bis ſingulis ſeptimanis Diis ſupplicatum ito, & templa viſitato; Qui contra fecerit, non ſolùm (Magiſtratu) abdicator, ſed etiam vitâ defunctus ſepulturâ careat. Abſurdum etenim videbatur Principis, qui, dum in vivis eſt, Deos non honorat, exuvias, ubi ſepultus fuerit honorari. Magnus quoque animi morbus eſt impietas, quoniam iſtam opinio & inclinatio ad omnia mala ſequitur. *Dn. Sprenger p. 122* Res itaque divinæ & religionis propagatio ante omnia curæ atque cordi ſit Principi, quippe quæ eſt vin-

F culum

culum & coagulum societatis civilis, nec non justitiæ fundamentum, quod si tollas, Resp. constituta labascit, & vita hominum stultitiâ, scelere & immanitate completur. *Lactantius de Ira lib. 8.*

§. 14. Sit (3.) Justitiæ cultor; Sicut in imperio primò pietatis ita & secundò justitiæ habenda est ratio: sine quâ nullum in terris diuturnum potest esse imperium. R. A. *de Anno 1603. §.* wie hoch und viel dann ibi: an der heylsamen Justitien gelegen/ ohne welche kein Reich und guter Nahme in der Welt immer kan bestehen. Remotâ namque justitiâ quid regna sunt nisi magna latrocinia? Imò sine justitiâ nec Jovis sceptra satis tuta existerent, *inquit Udalric. Zasius in Orat. de laud. leg. quam Tomus 5. complectitur.* Sic Primus Franciæ Rex Christianus, à Sancto Remigio quæsivisse fertur, quamdiu Regnum Franciæ esset duraturum, ipsum respondisse, tamdiu, quamdiu in eo vigeret justitia. *Reinking. lib. 2. Cl. 1. c. 2. n. 24.* Sit itaque Princeps non dominus justitiæ, sed custos; justè proindè non solùm ipsi vivant, sed etiam subditis justitiam administrent, suum cuique tribuendo, ad quod potissimum constituti sunt, *Sap. 6.* Sit quoque suâ sorte contentus, neque bellum regna aliena occupaturus moveto. Apollinis quippe oraculo discimus; Quicunque aliena rapiunt, eis propria Deos adimere. *Gvevara. lib. 1. c. 21.* Nec ex injusto parentum lucro, aliud, quàm justam ad filios redundare jacturam, sperandum. *Id. lib. 3. c. 3. p. 454.* Leges quoque nec violet, nec temerè mutet: Hinc Augustus ad Senatum, apud Dionem 52. positas semel leges servate, nec ullam earũ mutate, nam quæ in suo statu manent, etiamsi deteriora sint, utiliora tamen Reip. sunt; nisi urgente Reip. necessitate; Nihil enim magis Reip. exitio est, quam legum novarum inventio, veterumque constitutionum bonarum violatio. *Gvevara d. lib. 1. c. 21.* Cum ex mutatione legum, Principis contemtus *Tacit. 3. hist.* venalis causidicorum plebejorũ perfidia, litigandi ars, caninum studium, & apertum latrocinium repullulent: Interdum tamen temperet, ne nimia severitas, cui nos pares non sumus, summam pariat injuriam; *Dn. Sprenger. p. m. 122.*

§. 15

§. 15. Sit (4.) Humanus & Clemens; Nihil enim tam peculiare est Imperialis Majestatis quàm humanitas, per quam sola Dei servatur imitatio. *Imp. Justin. in l. ult. C. de donat. int. vir. & ux.* quævè pretiosissimum Principalis & Regiæ Majestatis dicitur monile, *ex Chassano de Gloria mundi. part. 1. Reink. lib. 2, Cl. 1. c. 3. n. 1.* & in tantum decet Clementia Principes, ut indè nomen adepti Clementissimi appellentur, *Ernest. Cothman. ad Rubr. Cod. Justin. verb Clementia nostra sub num. 13.* Clementes verò ut se exhibeant sequentes suadere videntur rationes. (1.) quia vices Dei gerunt in hisce terris, cujus proprium est parcere & misereri, quivè in sublimi residet & humilia respicit. *Psal. 138 v. 6. Sir. 3. v. 21.* (2.) quia homines tractant, non feras & bruta, ideoque decet, ut cum iis humaniter agant, cum & ipsi homines sint, & humanæ conditioni obstricti. *Sap 7. v. 1. & seqq.* (3.) Clementer agendo conciliant sibi populi benevolentiam, quæ est præsidium firmissimum; & munitissimas habere dicitur civitates Princeps, quem subditi fide & amore prosequuntur. *Mynsing. 5 O. 8. n. 11.* Et de Everhardo Duce Würtembergico refertur, quod is præcipuum in eo ditionis & potentiæ suæ præsidium collocârit; quod quovis tempore in cujuslibet subditi sui sinum caput reponere & tutus dormire posit. *Camerar. hor. succis. cent. 1. cap. 87. p. m. 406.*

§. 16. Potissimus autem Clementiæ effectus conspicitur in affabilitate. Debent enim Principes & gubernatores Reip. subditis esse affabiles, iisque facilem ad se præbere aditum & patienter eorum audire querelas & desideria. *l. 19. de off. Præsid. jung.* R. A. *de an. 1541. §.* demnach haben wir / ihr Ihre Werbungen gnädiglich / gütlich und freundlich angehöret. Et sicut Aquila non semper super nubes elevata volitat, sed remissioribus aliquando pennis descendit ad terram; Ita & bonus Princeps ex Throno Majestatis suæ, se ad subditorum & oppressorum querelas dimittat, & eorum desideria clementer audiat, ita enim re & nomine erit Clementissimus. *Reink. lib. 2 Cl. 1. 3. n. 26.* Sit lenis, non crudelitatis notoriæ particeps. Fieri aliàs aliter non potest, quam ut is, qui crudelitate delectatur

 in

in Tyrannidem evadat, *Guevara d. lib. 1. c. 21.* Non sit Tyrannus, sed lenis, subjecti ut pareant, non ut serviant: Debet enim cum suis tanquam parens cum liberis vivere, nec suâ potentiâ abuti, sed langvidâ regnet manu, nec dominium & servos, sed Rectorem & cives cogitet. *Tacit. an. 12* utpote, qui nec totam servitutem, nec totam libertatem pati possunt, *Agric. 1. hist.* sed remissius imperet. *Senec. 1. de Clement. 24. Sprenger. d. loc.*

§. 17. Sit denique (5.) rerum gestarum gloriâ inclytus: Sic nemo Prienensium gubernator eligebatur, nisi decem ad minimum annos operam militiæ navasset. Solus enim ille pacem exoptatam conservare novit, qui propriâ edoctus experientiâ, quid sint labores militares didicit. *Guevara d. loco.* Sit magnanimus; in summa sit omnibus Regiis virtutibus decoratus: Sit honestatis publicæ custos, cujus ad exemplum totus componitur orbis. Præter has autem prædictas virtutes doctrina mediocris in Imperaturo desideratur, quæ consistit (1.) in linguarum notitia, quæ Principi admodùm est necessaria, cum in legationibus audiendis, tum in conciliis, tum in publicis alloquiis. (2.) in historiarum & Politicorum cognitione.

§. 18. Tertium habilitatis membrum supra constitui STATUM: ratione itaque hujus requiritur, ut sit Laicus non Clericus, ita enim sonant verba juramenti in A. B. *tit. 2. §. 2. ibi:* Wil erwehlen ein weltlich Haupt. Probrosum enim est Clerico Imperii administrationem suscipere & secularibus se immiscere. *cap. cum ad verum dist. 96.* Land und Lehn-Recht. *lib. 1. c. 22.* Frustrà igitur ad capessendam Imperialem dignitatem adspirant admissis secularibus Electores Ecclesiastici.

§. 19. Conditionem personæ porrò quod concernit, requiritur ut Imperator promovendus sit natus ex illustri familiâ, cum dignitas & splendor familiæ magnam tùm autoritatem tùm benevolentiam Imperatori concilient. Sit itaque ad minimum Comes vel Baro. Quamvis autem omnibus debeat patere via honoris, tamen nullus Comite s. Barone inferior in Romno Imperio de consuetudine ad talem dignitatem

tem admittitur, approbante veteri textu *ap. Goldast. tom. 1.* Reichssatz. *pag 37.* die Fürsten sollen kiesen einen König der ein Freyherr sey/ und also frey/ daß sein Vatter und Mutter frey sein gewesen/ und nicht sollen mittelbahr frey sein. Et comitum ex classe ad imperium evectos Wilhelmum, Rudolphum, Adolphum, & Guntterum *hausimus ex Buxtorf. ad A. B. Cond. 31. Lit. A.*

§. 20. Dixi quod debeat esse natus ex illustri familiâ, quod tamen non sufficit nisi legitimè sit prognatus. Et hinc factum est quod Fridericus II. Imperator, cum de ejus natalibus suspicionem quandam concepissent status, necesse habuerit in publicis Comitiis Mattisburgi habitis, postulantibus Imperii Principibus, fidem natalium suorum vindicare, idoneis ad hoc prolatis documentis, *Spangenberg. in Chron. Sax. cap. 247 Limn. lib. 2. in addit. ad cap. 2. n. 79.* Nos verò nostram in Imperio satis profundè radicatam consuetudinem eo confirmamus quod habet *Limn. lib. 2. c. 2. ex Paradino de antiquis stat. Burgund cap. 14. p. 91.* Annosæ solent arbores (inquit) fructus suaviores utplurimum edere, siquidem ætas senilis quiddam invehit, quod in arbusculis, velut adhuc rudioribus acidum atque acerbum esse solet. Sic in familiis contingit, quæ quò diutius in pretio fuerunt eò viros generosiores edunt, quos vulgus claros ac nobiles vocat, quod sint multis majorum stemmatibus insignes, illorumque rebus gestis præfulgidi. Quemadmodum igitur solis radii viciniora quæque splendidiori luce permeant, & flumina adiacentes ripis glebas reddunt pinguiores, sic parentum in natos virtus pervenit; Nobiles proindè *cum Dn. Carpzov. disp. feud. 2. quæst. ad A. B. 2.* exclusos velim quilicet de more Collegii ad Archiepiscopatum evecti, & inter Electores adsciti fuerint non tamen imperii diadema obtinebant, quippè quod Electores Ecclesiastici eligant saltem, non eligantur. *Jul. Pflug. Episcopus Numburg. in Orat. de ordin. Rerumpub Germ.*

§. 21. Habilitatem ratione ætatis consideraturi, nullâ certâ legum nostrarum definitione circumscriptam cum inveniamus, mirum non est, soepius variatum, & nunc provectioris ætatis, nunc minoris Imperatores extitisse. Otto III.

 admo-

admodum puer. Henricus III. anno ætatis. 12 Henricus. IV. 8. Fridericus II. anno 20. Wilhelmus itidem 20. Wenceslaus 25. & Carolus. V. anno 17. hæreditariis regnis præfectus, 20. ad imperium pervenerint, *prout ex Cuspiniano Günthero & Sleidano refert Carpzov. disp. Feud. 2. quæst. ad 7d. B 2.* verum cœteris salvis rectius fieri arbitror *cum Dn. Limn. d. lib, 2. c. 2. n. 75.* si in electitiis regnis gravioris ætatis umbra gladio furioso juvenis præferatur. Cumque in Electoribus octodecim demum anni legitimam ætatem constituant, si non major, attamen nec minor terminus tutò præfigetur Imperatori propter majus, quod ex imperfectâ ætate potest surgere periculum; licet aliud obtineat in regnis successoriis, ubi consiliarii vel tutores defectum ætatis supplent. *Limn. d. loc.* De Prienæis *apud Guevaram. lib. 1. c. 21.* legimus, ipsis, vigore legis â Biante eis datæ, non integrum fuisse, eligere universi populi Principem nisi quadraginta ad minimum complesset annos; Hâc enim ætate, *inquit Guevara*, populi gubernatores (ac Principes) esse debent ut neq; ætas & experientia minor peccandi in negotiis causam ipsis præbeat, neque ætas grandior & imbecillitas in sustinendis laboribus eos impediat.

§. 22. Originem seu nationem quod concernit, sit Germanus, non peregrinus: Ut enim, in quam domum vespiliones venerint, signum est funeris: Sic Reip: labentis, ad quam fulciendam adhibentur perigini. Schönborn. *2. Pol. 5. p. m. 130.* Et quidem inter alia patriæ mos exigit, ut non nisi Germanus ad Imperialis dignitatis fastigium admittatur. *Reink. lib. 1. cl 3. c. 4. n. 2.* Vehementer autem agitata fuit hæc quæstio inter Moguntinum & Trevirensem, cum Maximilianus. I. exemtus esset rebus humanis; quorum ille Caroli. V. hic Francisci Galliarum Regis (qui unà cum Caralo. V. Imperii dignitatem ambiebat, plumisque aquilæ se ornare mirum in modum contendebat) partes defendebat; Sed tandé obtinuit Imperii sacri axioma penes solos Germanos debere elucescere, nec posse imperii decus ad extraneum deferri. Et quidem meritò: Hæc enim verba in electione Caroli. V. Moguntinus proferebat: De Gallo arbitror nos impediri nostris

ſtris legibus & jurejurando. Eſt namque diſertè conſtitutum, ne extero, ſed Germanico Principi, imperium commendemus, ne hoc tantum decus ad exteras nationes transferatur & non modò Germania veniat in ſervitutem &c. *ſicuti ex Sabino in hiſtor. elect. Caroli. V. refert Rumelin. ad A: B. p. 1. diſſ. 4 in Corollar.* At quænam ſit illa lex imperii prohibitiva, cui obſervantiam ſpondet omnium Coëlectorum nomine ſuffragator noſter â multis hactenus quæſitum, nec tamen cognitum iis penitus fuiſſe ſcribit *Dn. Carpzov. in diſcusſione voti Septemviralis graviſſimi pro Carolo. V. contra Regem Galliæ Franciscum I. dicti, dogmate 3. n. 8. p. m. 262.* Certe textum A. Bullæ introſpicienti, nulla ſuppeditabitur Syllaba, quâ rei hujus prohibitio ſatis commodè adſtrui poſſit. An ergò Moguntinum Electorem legem aliquam nullibi repertam ſibi perſuaderi paſſum exiſtimabimus? Abſit, nec præſumendû hoc de Archicancellario Imperii, cui leges Germaniæ ignotæ eſſe non poſſunt, nec debent. Dubitationis igitur nubem quo Politici noſtrates diſcuterent, Legem ejusmodi, ne alius quã Germanus in Imperatorem eligatur ab Otthone I. alii *ut Reimking lib. 1. Cl. 3. c. 4. n. 3 ab* Otthone III. promulgatam, A. Bullæ tamen haut inſertam autumant. *Dn. Arum. tom. 1. diſcurſ. acad. 6. Dn. Limn. lib. 2. c. 2.* Sed cum nec nos, nec alii illam legem viderint vel legerint, vigori ſuo illam relinquimus, nil certi interim de lege aliquâ ſcriptâ vel promulgatâ affirmantes; quæ ſi extitiſſet ulla quid opusfuiſſet Moniti proteſtantium; ne Rom: Rex deſignetur ullus, qui non ſit ex aliquâ Germaniæ Principum familia progenitus *apud Sleidan. lib. 8 p. 223.* Nec tamen fidem Archiepiſcopi Moguntini dubiã reddere præſumimus, quam ſatis vindicatam putamus, ſi dixerimus quod res eſt: Lege nim: A. Bullæ, verbis licet non expreſſis tacitè tamen & haut obscurè prohiberi Electores faſces Imperii extero deferre hoc ipſo, quò juramento obſtringuntur eligere talem qui ad ſceptra & gubernationem ſit idoneus, *tit. 2. A. B*, nec enim communi Politicorum voto extraneus quisquam, qui ſic, ut indigena, non cognitos atque exploratos habet civium mores, pro tali habetur, ut hinc Moguntinus non

abs

abs re & legibus & jurejurando Septemviros ad hoc obstringi dixerit. *Sleidan. lib. 1.* Accedit quod cum Imperatorem Electores per Capitulationem obligatum voluerint ne officia Imperii illustria aliis quam germanis committeret, *veluti apparet ex Capit. Caroli. V. art 3. quod itidem in subseq. Impp. Capitulationibus, ut Ferdinandi III. art. 15. Ferdinandi. IV. art 41. Leopoldi. I. art 40. legimus repetitum*, ad parilem utique legem seipsos obstrinxisse videantur. Et quid multis *inquit Dn. Carpzov, cit. loc.* Sola observantia de peregrino ad fasces imperii germanici non admittendo, Moguntinum Electorem tuetur, quo minus legem falsò allegasse dicatur; postquam observantia ap: JCtos instar legis est ac pro lege habetur *arg. l. filius emancipatus. 14. ff. ad L. Cornel. de falsis. l. 1 ff. ad SCtm. Syllan. l. 3. C. de adif. priv.* Nec quicquam nos offendat quod olim admissi fuerint ad sceptra imperii Alfonsus Castellæ Rex. Richardus Cornubiæ Dux, & Edoardus Angliæ Rex, omnes exteri: Turbato siquidem Imperii statu id factum probè observavit. *Heigius p. 1. quæst. 5. n. 8 & 21.* Hæc de persona eligendâ inseruisse sat erit.

§. 23. Accedentes nunc ad tertium ipsam electionem concomitans, paucis seriam de electione perficiendâ delibabimus deliberationem. Præstito itaque ab Electoribus usitato more juramento secedunt in proximum sacellum Regem Rom: electuri. Hic notari velim, (1.) tempus intra quod Electio perficienda. (2.) quo ordine vota proferantur. (3.) quot vota sufficiant, & (4). publicationem votorum.

§. 24. Et (1.) quidem electio intra 30. dies à die præstiti juramenti perficienda. *vid. S. membri 1. §. 28.* Quod autem de dierum numero addo, non eò pertinet, quasi præterito 30. dierum cursu eligendi potestatem obseptam velim, sed quod Electoribus non sit impunè. *Lampad. de Rep. Rom. Germanica parte. 3. c. 2. n. 23. p. m. 86.* nam si diutiùs Electores eam protraxerint, tunc panem pro cibo, & aquam pro potu habebunt. A. B. *tit. 2. §.* wo sie aber das verziehen / quæ alimentorum lautiorum detractio his loco pœnæ adscripta, cum aliàs, ut & reliqui nobiliores non cogantur comedere, allium, cepas, pa-

nem

nem grossum, caseum & similia, cum hæc propria cibaria rusticorum. *Gl. in l. servis urbanis verb; cibariis ff. de Leg. 3.* eorum verò cibi debeant esse pulli delicati, carnes &c. *can. non cogantur dist. 41.* Mitiori verò pœnâ Cardinales afficiuntur, si intra triduum, postquã conclave ingressi sunt, non elegerint Pontificem, ut nempe per spatium quinque dierum immediatè subsequentium singulis diebus, tàm in prandio quàm in cœna, uno solo ferculo sint contenti, iisq; decursis, tantummodò panis, vinum & aqua ministrentur iisdem, donec electio fuerit subsecuta. *cap. ubi periculum. 3. §. sacro consilio vers. verùm si quod absit de Elect. in 6 Rumelin. ad A. B p. 1. diss. 3. th. 7.* Ratio constitutionis Carolinæ *secundum Dn. Limn, Lib. 2. c. 3. n 56. & Rùmelin d. loc.* hæc dari poterit; Ne, cum ipsi quoq; vicarii Imperii, hodiè Bavarus & Saxo electioni intersint Resp. Germanica aliquid detrimenti capiat. si diutiùs quàm par est capite privata permaneret.

§. 25. Ordinem votandi (2.) quod concernit, Publicistæ eum duplicem faciunt, antiquum & novum: Antiquitus Moguntino competiisse primam vocem sive votum *ex Specul. Sax. lib. 3. art. 57* non adeò difficile erit probatu, cujus verba hunc in modum sonant; Der Bischoff von Mäynß der hat die erste Stimme der Wahl/der Bischoff von Trier die andere/der Bischoff von Cölln die dritte. *Et juxta Günther. Ligurin. lib. 5. de reb. gest. Friderici*

> —— *Ad proceres electio pertinet, in quâ*
> *Præcipuam vocem Præsul de jure vetusto*
> *Moguntinus habet.*

Verùm mos iste antiqvus posteà exolevit, & primum votum Trevirensi competere cœpit, confirmatum posteà â Carolo IV. in A. B. *tit. 4. §. 3.* Hanc autem immutationem â Carolo IV. factam bonâ Moguntini voluntate processisse non ambigendum putat *Dn. D.* Dietrich *in not. ad A. B. tit. 4. verb. ordine subsequenti*: ut adeò nòn sit necesse, *vel cum Vischere de Elect. Reg. Rom. Concl. 25. n. 138.* dicere, Carolum IV. Moguntino jus primæ vocis ademisse; aut *cum Arumae ad* A. B. *disc. 3. Concl. 14. & 21.* Ordinem à Carolo IV. præscriptum non

 obser-

observatum, sed antiquam illam consuetudinem quâ Moguntino prima vox debebatur quasi postliminio rediisse; hactenus enim à Caroli V. temporibus Trevirensis primam vocem semper habuit: Et relatio *Sleidani. lib. 1. de stat. relig.* de antecedente deliberatione, non de suffragio ipso exaudienda, *vid Dn. Limn. lib. 2. c. 3. n. 60. & seqq. Dn. Carpz. disp. feud. 2. quæst. ad A. B. 4. p. m. 581.* Colligit autem Moguntinus suffragia eo ordine, ut (1.) Trevirensis. (2.) Coloniensis. (3.) Rex Bohemiæ. (4.) Dux Bavariæ. (5.) Saxo. (6.) Brandeburgensis, (7.) Comes Palatinus Rheni vota proferant, quo facto, tandem Moguntinus de voto suo exprimendo requiritur, & quidem per Saxonem, *Lehman. Chron. Spirens. lib. 7. c. 114. sub rubr.* Churfürsten Rath / §. Insonderheit etc. Insuper hîc quæritur, Utrum votorum hoc scrutinium publicè, an verò secretò institui debeat? Ego priori sententiæ meum adjicio calculum.

§. 26. Quod (3) votorum numerum respicit, de eo hanc decisionem nobis suppeditat. A. B. *tit. 2. §. 4.* Si quem major numero pars elegerit, illa electio perinde haberi ac reputari debebit, ac si foret ab omnibus EE. nemine discrepante concorditer celebrata; Et hanc assertionem, quod nimir. majoris partis electio prævaleat, hactenus veram judicat *Rumelin. p. 1. dissert. 3. th. 8.* si ad salutem imperii promovendam tendat: Quod si majoris partis electio, vel contra antiquam imperii consuetudinem, vel in maximum præjudicium tenderet, haud improbabiliter dici posset, quod nullatenus sit attendendus major numerus. Utrum verò Elector, qui à quibusdam EE. electus & nominatus est, proprium sibi votum dare, atque ita augere numerum queat, non omni dubio carere videtur? Et quamvis nonnulla sint, quæ pro Negat: adducantur sententiâ, affirmativam tamen veriorem judico, idque per *A. B. tit 2. §. fin.* Nec obstat (1.) quod nemo sibi testis de habilitate esse queat *argum. l. un. C. ne quis in suâ causâ.* Respondeo enim *cum Nobiliss. atque Excell. Dn. Struvio*, hoc eò pertinere, ne quis directò sibi ipsi præco & testis esse queat: Per indirectum autem fieri & relativè ad alterius sententiam,

in-

incivile non esse. Quid enim frequentiùs (inquit) quàm testimonium vitæ & morum ab alio impetratum producere & eo niti? ideoque distingvendum monet inter suffragium electivum nudum, & cum testimonio idoneitatis latum: Illud habere Electorem per A B. Hoc non habere posse *per d. l. nu* directò: Sed per indirectum tamen ad vota antecedentia se referre tanquàm ad testimonia possit: Aliter respondêt *Dn. Lim. lib. 2. c. 7. n. 8.* legem illam pertinere ad causas judiciales: hîc autem nullum dari judicium, ergò nullum propriè judicem nullumq; testem. (II.) Non Ob. *cap. per nostras X. de jure patron.* ubi Patronus qui jus præsentandi Clericum habet, non potest seipsum præsentare. Nam patroni præsentatio vertitur præcisè inter unum patronum & præsentandos: Ideoque si seipsum posset præsentare confunderetur respectus mùtuus, qui necessariò duo numero distincta supposita requirit. At electio Regis Rom. non peragitur ab uno Electore, ideoq; etsi in uno respectus activus confunditur, manent tamen adhuc plures, in quibus relatio agentium superest.

§. 27. De publicatione (4.) votorum addo: Quod majoribus votis ita electus Rex Rom. postquam fuerit, vota majoris probationis caussa in literas EE. sigillis confirmatas referri soleant, *Sprengerus. p. m. 127.* Nonnunquam etiam Consiliarios quosdam EE. in conclavi ubi electio peracta, ut sint quasi testes secretæ electionis, vocari. Quo peracto ad altare accedentibus Electoribus, Moguntinus accersitâ nobilitate ac multitudine universâ, publicâ oratione renunciat Regem electum. Hîc observetur, quod si præsens sit electus, in æde S. Bartholomæi sistatur.

MEMBRUM TERTIUM.

§. 1.

EXcussis nunc illis quibus tàm antecedentia, quàm electionem concomitantia absolvuntur, hoc adhuc restat, ut in enarratione eorum quæ electionem insequi solent, simus occupati. Refero idcirco inter consequentia electionem Regis Rom.: (1.) Privilegiorum confirmationem. (2.) Capitulationem

tionem Cæsaream, & denique (3) Coronationem. De singulis suo loco & ordine videbimus.

§. 2. Peractâ prædictâ modo electione, statim electus, priusquam in aliquibus aliis causis vel negotiis virtute sacri Imperii administret, universis & singulis Electoribus Ecclesiasticis & Secularibus, omnia ipsorum privilegia, jura dignitates, & quicquid ipsi ab imperio usque in diem electionis suæ obtinuerunt, absque ullâ morâ & contradictione confirmare & posteà Imperialibus Infulis coronatus innovare debet. A. B. Und dieweil von alter guter löblicher Gewonheit etc.

§. 3. Et quanquàm in A. B. tantummodò fiat mentio confirmationis privilegiorum &c. Electoribus competentium, quod hanc electus in Regem Rom. peractâ electione statim debeat præstare: Verùm quæ ratio illius confirmationis est, eadem etiam militat pro confirmatione privilegiorum reliquorum Imperii statuum: Indè quòd in A. B., quæ potissimum Electoribus prospexit, omissum, reliquis Imperii statibus detrimento esse non potest, sed aliunde, ut ex Capitulationibus Impp. suppleri debet. Sic enim præstito juramento Carolus V. *art. 4.* Ferdinandus III. *art. 3.* Ferdinandus IV. *art. 3.* & Leopoldus Imperator modernus invictissimus. *art. 3.* promisit. Zum dritten sollen und wollen wir in allen Wegen die Teutsche Nation/ das Heil. Römische Reich/ und die Churfürsten als die vornehmsten Glieder/ nach er Inhalt der Güldenen Bull/ sonderlich des dreizehenden Artikuls/ wie andere Fürsten/ Prælaten/ Graffen/ Herren und Stände/ sambt der ohnmittelbahren freyen Reichs-Ritterschafft bey ihren Hoheiten/ Geist- und weltlichen Würden/ Rechten/ Gerechtigkeiten/ Macht und Gewalt/ auch sonsten jedem nach seinem Stande und Wesen bleiben lassen/ ohn unser und männigliches Eintrag und Verhinderung/ und ohne der Churfürsten und Ständen vorhergehende Einrath- und Bewilligung/ keinen Reichsstand der sessionem & votum in denen Reichs-Collegiis hergebracht hat/ darvon suspendiren oder ausschliessen/ darzu den Ständen sambt erstgedachter Reichs-Ritterschafft/ ihre Regalia und Obrigkeiten/ Freyheiten/ Privilegien/ Pfandschafften und Gerechtigkeiten/ auch Gebräuch und Gewohnheiten/ so sie bishero

bisshero gehabt haben/oder in übung gewesen seyn/ zu Wasser und zu Lande auf gebührendes Ansuchen/ohne einige Weigerung und Aufenthalt in guter beständiger Form/confirmiren und bestätigen/Sie auch darbey als erwehlter Römischer König handhaben/ schützen und schirmen / und niemand einig Privilegium darwider ertheilen.

§. 4. Ex his quæ hactenus dicta sunt animadvertimus, Collegio Electorali non solùm competere jus moderandi, & ad prædictum modum absolvendi electionis negotium, sed & electo Regi committendi Imperii potestatem, quæ imperii commissio expeditur imprimis per contractum sive tractatum cum electo Rege de formâ futuri imperii, quò id non absolutè, sed restrictè sub certis pactionibus atque formulis, quam Capitulationem dicimus, ei demandatur, sicque priusquàm planè recipiatur, præstito juramento de ejusmodi pactionibus constanter, firmiter & inviolabiliter servandis universo imperio obligatur, *Rumelin. ad A B. p. 1. diss. 3 th.* 17.

§. 5. Capitulationis verò nomen peregrinæ originis esse monstrat *Limn. in Proleg. ad Capit. Impp. Sect.* 1. *n.* 1. Et Latinis quidem *capitulare* nihil aliud significare, quàm capitulum apponere, vel per capita distinguere, *id. tradit ib.* unde & *recapitulare* breviter quæ dicta sunt per capita recensere, ac *capitulata scripta*, quæ per capita distincta. Italis capitulare esse *far conventioni*, pacto convenire. Gallis, *Capipituler*, esse articulosè pacisci, ex æquo conditiones articulosas ferre, conditiones petere aut postulare, conditiones ferre & accipere. Hæc Gallos ab Italis ut & alia plura accepisse idem refert. Cum verò ap. Veteres Latinos Capitulationis vox non reperiatur, credibile sibi fieri, illam inter Italos demũ tempore corruptæ linguæ natam fuisse & dehinc ab aliis susceptam, etiam ab illis qui Latinitatem barbarismo auxerũt, scribit *Dn. Limn. d. loc.* Mihi ab iis, quibus constat variis capitulis, *cum Dn. Limn. lib. 2. c. 12. num. 11.* denominata Capitulatio videtur.

§. 6. Legis hujus imperii nostri fundamentalis, quam nos Capitulationem appellamus æquipollentia *Dn. Limn. laudat. loc.* refert nomina. Et leges quibus Regum ac Impp. po-

ctestas certis limitibus fuit circumscripta, quas, ut Romani suas *Regias*, ita majores nostri *Palatinas* vocasse. Sic in literis Electoris Saxoniæ tempore belli Germanici emissis, vocari quandoque *Obligationem Cæsaream* quandoque Franckfurtische *Obligation*, Franckfurtischer *Contract*, Franckfurtische Geschworne pacta sibi verò aliquando placuisse eam vocare den Keyserlichen Articuls Brief. *cit. lib. 2612 n. 7.* asserit.

§. 7. Et ut de definitione Capitulationis Reali quid addamus, varias invenire licet ejus descriptiones. *Dn. Reinkingio lib. 1. Cl. 3 c 9. n. 2.* Capitulationem per Legis Regiæ renovationem definire, vel magis describere placuit: Cui propterea quod indubitatò de illa Lege, quâ omne suum imperium & potestatem Principi & in eum populus Romanus contulit, loquatur, Capitulatione autem non omnis potestas, sed limitata & restricta in Imperatorem transferatur, non assentimur. Ex modernis nonnemo Capitulationem describit, puod sit lex Imperii (fundamentalis) quâ Regimenta populi in Imperatorem designatum transferuntur, certis conditionibus sive capitulis: quam examinandam mihi haut sumo: Veritas tamen ejus facilè cuique attendenti, quod non sanciatur â subjecto potestatem legum ferendarum habente, patebit. In imperio enim nostro legem facit Imperator cum statibus, non Imperator facit, non status soli. Domino *Limnæo in annotam. ad Capitt. Impp. prolegom. sect. 1. n. 37.* moderna tempora respicienti, est à Sex (hodie 7.) Electoribus, electo Regi Romanorum salutis publicæ causa præscripta, & ab eodem recepta potestatis suæ, & administrationis imperii regula, quam vi promissionis factæ & juramenti præstiti, exactè & inviolabiliter observare tenetur.

§. 8. Qua verò ætate in imperio Capitulationes primitus coeperint dissentientibus doctiorum opinionibus obscurum redditur. Hortlederus. (*ap: Goldast. polit. Imp. part. 12. disc. 2. pag. 612.*) scribit, neminem esse qui hoc doceat, videri tamen sibi, hoc colligi posse ex Brunone Saxone, sub turbulento Henrici IV. imperio natam eam primum, deindè tractu temporis magis magisque auctam, increscente præsertim

sub

sub Carolo. IV. dignitate Electoria, quoad in eam, quæ hodiè in usu est, excreverit amplitudinem. Germanos apud priscos, *inquit Arum. tom. 4. 1. p. disc. 4.* regibus non fuit infinita aut libera potestas. *Tacit. de moribus germ.* cujus rei vestigium extat *in spec Sax. lib. 3. art. 54.* Als man den König wehlet so soll Er dem Reiche hulde thun/und schweren daß Er die warheit sagen wil und alles unrecht brechen / und daß Er des Reichs Gerechtigkeit schirmen wolle / alß best Er könne oder mag: Quanquam ex hoc juramento nihil inferri queat, quo prisca Lex Regia immutata demonstretur: Nam & veritatem dicere &c. officii ratio Regi imponit. Verùm per capitulationem in multis Legi Regiæ detrahitur, ergò qui ejus originē dare voluerit, non ad juramentum illud, quo, quid Regiæ majestati & potestati proprium est, facere jubetur, sed ad illa devenire tempora debet, quibus illa quæ Regi licebant, imminuta fuerunt. Sunt qui ad Carolum Magnum referant, sed error eorundem ex formulâ jurisjurandi, quâ nihil Legi Regiæ detrahitur, redarguitur. Quinimò cum in Carolo Imperium inceperit, & ut hæreditarium ab ipso in posteros translatum sit, verisimile non est, eum vel posteros de re suâ sibi leges poni passos fuisse &c. Verisimilius igitur videtur cum extinctâ Carolinâ stirpe in Ludovico Arnolphi filio electio successioni substitui cœpit, initium Capitulationi tempore Conradi I. datum fuisse. Hæc *Arumæus.* Mihi *cum Nobilissimo atque Excellentissimo Dn. Præside in Lectionibus Brautlacht privatis* non improbabilis videtur eorum sententia, qui Caroli V. temporibus Capitulationis originem acceptam ferunt. Hoc enim certum est in A. Bullâ planè non fieri mentionem Capitulationis, quam ut rem magni momenti silentii peplo non involvisset, si adfuisset, Imperator; Tum quoque nullus hactenus vidit Capitulationes ante Carolum V. editas.

§. 9. Nihil autem causæ est ut cum aliis Capitulationem juri ac legibus divinis contrariari dicamus: Moventur quidem dissentientes 1. *Sam 8 vers. 11.* ex quo approbatum esse à Deo jus Regis contendunt, ergò ab homine id limitari nec posse nec debere: Verum certum est atque constat judicium sive jus Regium 1. *Sam. 8.* propositum, non de jure ac privile-

gio,

gio, sed de injuria ac tyrannide explicandum esse, ac Regis futuri mores ibi describi, non qui ipsum deceant sed qui Monarchis utplurimum sint familiares, *prout ex Job. Brentzio ad d. cap. 1. Sam. 8. Luc. Osiandro in biblic. dict. c. 8 Buchanano de jure Regni ap: Scotos. Marta in Tr. de Idict. part. 1. c. 36. Besoldo in polit. c. 2. de polit. maj. scribit Dn. Carpzov. de leg Reg. c. 11 sect. 5. n. 14.* Non enim Samuel ibi Regem instituit, sed populum alloquitur, & officium populi erga Regem docet; non quod pio Regi eâ Tyrannide in subditos suos grassari liceat, sed quod subditi Regem super se eligentes & dominium ipsi conferentes, jure talem Tyrannidem ferre debeant nec liceat eis resistere: Undè finis sermonis erat dehortatorius enumeratione malorum, & Dominum hæc dixisse putant ut deterreret populum â petendo Rege; Pii siquidem Regis officium longè aliter â Domino describitur *Deut. 17.* Quin si & illud veri Regis jus & officium, à que Deo confirmatum fuisset quod *1. Sam. 8.* depingitur: Achab Rex Nabothi vineam jure ad se trahere potuisset, nec permutatione, venditione aut violentiâ ullâ opus fuisset, neque Achabus ob Nabothi vineam direptam reprehensus & punitus fuisset *1. Reg. 21.* nec posteritas gravissimas facti illius poenas dedisset. *2 Reg 10.* Neque aliud innuit Sanctæ linguæ proprietas, vocabulum enim מִשְׁפָּט eo loco significat morem & consuetudinem, prout accipitur *1. Sam. 27. 11.* Et hoc erat judiciũ, hoc est, mos & consuetudo & ratio David omnibus diebus: *& 1. Sam. 2. 14.* hæc erat ratio filiorum Eli. hoc est, hæc erat prava consuetudo & quotidiana injuria. *Gen. 40, 13.* Dabis calicem Pharao in manum ejus secundum judicium pristinum. hoc est, veterem consvetudinem. *2. Reg 17. 34.* usque in præsentem diem sequntur judicium (morem) pristinum. Denique si fortassis populo, Israëlitico propter speciale peccatum Lex Regia ad sevitutem â Deo posita fuisset, quid hoc ad nos, aliosve quos Leges forenses Judæorum non attingunt nec aliena noxa in consortium poenæ trahere debet! *Dn. Limn. in Capitt. Impp. proleg. sect. 2. n. 12.*

§. 10. Finis autem, ob quem Capitulatio introducta & in usu est, ut illa limitetur potestas imperantis, & sit ei Regu-

la as-

la atque norma actionum: Non tamen propterea tantas Capitulationi tribuo vires, ut per eam Imperatoriæ Majestati quid derogatum dicam; respectivè quidem ejusmodi capitulatione coarctari, non tolli, premi, non tamen opprimi, concedo, largior, majestatem. Quemadmodum igitur candela vitreæ inclusa capsulæ, æquè ac si extra eandem posita lumen spargit suum, ac hoc modo conservatur, ne ventis hinc indè exposita extinguatur aut diffluat: Ita majestatis splendor circumstante, at non obstante Capitulationis fabrica, lucidus apparet, munitus tamen hâc ipsâ, ne favoniis adulationum ventis admissis, pronâ licentiâ pereat & summam denique patiatur ecclipsin. *Dn. Sprenger. p. m. 155.* Pro stabiliendâ itaque quam amplexus sum affirmativa sententia tale necto argumentum Quam potestatem ante Capitulationem Imperator non habuit, ipsa ei non potuit adimi ant minui per Capitulationem. Atque potestatem quæ Cæsari denegatur in Capitulatione non habuit ante Capitulationem. Ergò, per Capitulationem non potuit adimi vel minui. Minorem probo: Quia si ante Capitulationem habuisset plenissimam & summam potestatem Imperator, jam in ipsius liberrimâ fuisset voluntate, utrum Capitulationi subscribere vellet, nec ne? Tantum itaque abest, ut in Imperio nostro Majestatem Capitulatione infirmari arbitremur, ut potius eâdem eandem firmari credamus. Conceditur enim imperii perfecta administratio Imperatori demùm post latam & datam Capitulationem; ergò quam antecedit tollere non potest, at benè cum modificatione transferre. *Dn. Limn. lib. 1. c. 12. n. 37.*

§. 11. Capitulationem hanc juramento à Rege Rom. confirmatam excipit ipse coronationis actus; cujus usus apud Reges antiquissimus *2. Sam. 12. v. 30. 2. Chron. 13. v. 13.* Et quidem Reges Tyrrhenorum usi sunt coronâ aureâ, sellâ eburneâ, & sceptro in summitate aquilam habente *Keckerman. disp. Polit. 2. concl. 12.* Jojada quoque constituto Rege Joa imposuit ei diadema, & librum legis dedit in manibus tenendum, & per illud significabatur divina perfectio, per hunc verò utriusque tabulæ custodia. *2. Chron. 22.* Sic Papa utitur Tya-

ra aurea cum triplici corona ex eo, quod à Constantino Asiæ, Africæ & Europæ Ecclesiarum caput prætensè sit constitutus, & ad declarandum extremæ potestatis signum, quam in cœlum, terram & infernum sibi vindicat. *Reinking. lib. 1. cl. 3. c. 8. n. 5.* Hincq; coronæ coronationisq; usum ad Principes Romanos derivatum, adhuc hodie usurpari, ex A. B. tit. 21. §. Und nach dem Er mit Käyserlichen Insignien gekleidet / discimus.

§. 12. Est autem coronatio *secundum Ramelin. ad A. B. p. 3. diss. 6. th. 6.* nihil aliud quam congeries actuum solennium, quibus electio & commissio imperii quasi renovatur, ad authoritatem electo stabiliendam, & personam ejus omnibus & singulis notam faciendam.

§. 13. Dicitur *Congeries actuum solennium:* Absolvitur enim coronatio (1.) unctione. (2.) insignium traditione & (3.) juramenti præstatione duplici. Requiritur autem Unctio ideò, ut demonstretur Imperatorem validum & industrium in opere suo esse debere, & tamen simul levem, atque adeò contra frigus & venena id est, omnem externam vim munitum *Limn. lib. 2. c. 4. n. 13.* Antiquitatem verò hujus Unctionis perspicere licet ex sacrarum literarum codice, quo Regiæ consecrationis & sacerdotalis electionis signum habita fuit. Sic Saul à Samuele. 1. *Reg.* 9. David à viris Judæ 2. *Reg.* 2. Salomon à Nathane. 3. *Reg.* 1. uncti fuere. Perficitur autem unctio Regia ab Ecclesiasticis quibusdam, qui pectore & brachio dextro nudant Regem, illumq; in inferiorem Oratorii sedem ad altare deducunt, ubi flexis genibus acceptâ primùm â consecratore benedictione, oleo catechumenorum in vertice per formam crucis, intra scapulas, cervice, pectore, dextro brachio, intra manum & juncturam, & palma dextra ungitur, cuilibet unctioni his additis: *Ungo te in Regem oleo sanctificato in nomine Patris, Filii & Spir. Sancti.* musicis interim modulantibus illud: *Unxerunt Salomonem.* Peractâ unctione comitantur Regem in chori sacristiam Electores Ecclesiastici & assistentes illi subtili gossypio detergunt oleum: exuunt Regalem habitum (qui eo ipso Ecclesiæ donatus censetur, *attestante Noppio in Chron. Aquisgr. in Coronat. Caroli V.*) vestiuntq;

Pon-

Pontificalibus illis, quæ Norimbergenses attulerunt, Dalmaticâ nimirum & Sandaliis *Dn. Sprenger. p. m. 197.*

§. 14. Ad insignium traditionem quod attinet, noto quod sint eorum quinque (1) Corona clausa quam imperialem vocant, ad differentiam apertæ, quæ Regalis appellatur: Sic Reges Daniæ & Bohemiæ utuntur coronâ apertâ, & merito cum sint Vasalli, nec absoluti & supremi domini; (2) Gladius ab Angelo Carolo Magno traditus, index justitiæ & insigne superioris potestatis, ad quam significandam gladio cingebantur, qui eâ præditi. *Rom. 13. v. 4.* Sic videmus, *inquit, Camerar. cent. 1 hor. succis. c. 76.* gladium evaginatum, qui in solennitatibus Imperatori & Regibus præfertur, indicare justitiam, ut terror sontibus incutiatur, & insontes sciant se sub protectione summi Magistratus ab injuriâ & vi tutos esse. (3.) Sceptrum, antiquissimum apud omnes gentes Regiæ dignitatis signum. *Carpz. de L. Reg. c. XI. Sect. X n. 37.* Regum Galliæ ut mentionem aliqualem injiciamus, eos duplici potissimum uti sceptro, *ex Limn. lib. 1. c. 4 n. 24.* constat, quorum unum lilia in summitate profert ad insignia regia spectans, alterum duobus cum pollice digitis erectis fidei signum exhibens, Gallis teste Limnæo vocatur, *la main de justice*, manus justitiæ. Hoc postremum cum inter cœtera ornamenta Regia, Carolo IV. Imperatori per Galliam eunti, in fano S. Dionysii propter regia ornamenta nobilissimo, monstraretur, affirmaretúrq; eam manum ex unicornu factam, subjecit Imperator; Non potuisse ex aptiori materiâ manum justitiæ effingi, quæ pura omnisque veneni exors esse debeat, quemadmodum *ex Claudio Fauchet lib. 12. antiq. Gallic. cap. 1.* prælaudatus refert Autor. (4.) Pomum aureum cui crux est superimposita, quo significatur auspiciis divinis Imperatorem esse dominũ mundi. *Marquard Freher. ad Petrum de Andlo lib 2 c. 6.* vel orbem à Christo in crucis virtute triumphatum esse. *Gretserus lib. 5. de sanct. cruce.* (5) Amictus qui Norimbergæ summâ cum Magistratus diligentiâ ac veneratione ab aliquot annis retrò in hunc usq. diem asservatur. *Vid. Hartm. Maurus de coronat. Caroli V. Imp. Goldast. in Polit. Imp. part. 3 diss. 3. p. 272.*

§. 15. Geminum autem præstare tenetur juramentum, primum, dum ante unctionem & coronationem à consecratore rogatus, An fidem Catholicam operibus justis servare, Ecclesiarum tutor & defensor existere, regnum efficaciter secundum justitiam defendere velit? an jura regni dispersa congregare, viduarum miserabiliumque personarum pius defensor & judex esse, Romano Pontifici debitam subjectionem exhibere velit? respondet, sic volo, & in quantum divino fultus fuero adjutorio, precibusque Christianorum fidelium adjutus valuero, omnia promissa fideliter adimplebo; Sic me Deus adjuvet & Sancti ejus. Alterum, dum expleta coronatione in hanc ferè sententiam Sacramentum præstat: Profiteor & promitto coram Deo & Angelis ejus leges servare, justitiam facere, jura regni conservare, debitumq; honorem Romano aliisque Pontificibus atque Vasallis exhibere, donata Ecclesiis conservare, Christo mihi præstante auxilium fortitudinem, decorem. *Dn Carpzov. d. loc. n. 32. & 33.*

§. 16. Præcedenti. §. *15.* dixi, per coronationem, electionem & commissionem imperii quasi renovari, quod à vero nec abest. Rex siquidem Rom: solâ electione insecutâq; Capitulatione, absque coronatione plenissimum jus imperandi ac imperium administrandi consequitur per A. B. *tit. 2.* Et coronatio nihil novi juris electo tribuit, sed quod tributum est festivè magis, quàm de necessitate significat. *Reinking. lib. 1. Cl. 3. c. 8. n. 24.* Sic licet Gallorum Regi Archiepiscopus Remensis coronam imponat. *Sleid. lib. 39. comment.* nemini tamen dubium est, quin ante consecrationem Rex imperii possessione ac proprietate potiatur, non quidem hereditario aut paterno jure, multò minus etiam Pontificum aut Parium beneficio, sed Lege Regiâ, *inquit Bodinus §. de Rep: 9.* Sic Polonorum Regi Archiepiscopus Cnesnensis, Bohemorum Pragensis coronam imponit; nemo tamen, ut opinor, adeò insulsus erit, qui Archiepiscopum Cnesnensem Regi Polonorum regiminis summam mediante coronatione conferre dicat.

§. 17.

§.17. Et hoc inter Poloticos & JCtos triplicem nimir. olim in usu fuisse Imperatoris coronationem Germanicam nempe Lombardicam & Romanam expeditũ est,(I.)vel ad indigitandum puritatẽ conscientiæ, quæ huic nostro competere debet, in quantũ est Rex universi orbis,quæ designatur per coronam argenteam,(2.)virtutem,quæ per ferream adumbratur.(3.)Scientiam & prudentiam discernendi bonum à malo, quæ aurea significatur. *Mylerus ad Rumelin p.3. diss. 6. th.7.* Vel (II) ad significandum triplex Imperatoris dominium in Asia sc. *l.ult. C. de temp. appell.* Africa. *l. 1. ff. de off. Præf. Prat. Afr.* & Europâ. *secundum Francisc. Zoannet. de Romano Imp. n. 248.* Coronabantur enim primò Imperatores olim Mediolani in Lombardiâ ab Archiepiscopo Mediolanensi & declarabantur ita Reges in Italiâ. *Carol. Sigon. lib.7. de regn Ital. p. 176. & lib. 4. p. 89. lib. 8. p. 187.* Erat autem ferrea & propterea ipsis imponebatur,quia regnum Romanum ferri figura apud Danielem designabatur, *Alciat. de formâ imperii p. 116.* vel ut demonstretur majestas oneri conjuncta, *Sigon. d. loc.* Secundò coronabantur Reges Romæ ad altare in Ecclesiâ S. Petri, aureâ coronâ, ad denotandam Imperatoris præcellentiam præ aliis Regibus,sicut aurum reliquis præcellit metallis, *Schneidevvin. ad Proëm. Inst. n. 6.* Ast utraque hæc coronatio Lombardica & Romana in desuetudinem abiit: Illa, quia nihil, vel parum juris ac potestatis in Italia hodiè competit Imperatori; ista, quod fanam ac frustraneam judicaverint Electores, quorum rescripti tenorem exhibet *Carpzovius de Leg. Reg. c. 2. sect. 9. n. 20.* Superest itaque tertia saltem coronatio, puta Germanica, quæ tamen & ipsa utpote ad solennitatem potiùs extrinsecam pertinens, magis honoris & celebritatis causa peragitur, quàm necessitatis essentialis, per rationem præced. §. assignatam.

§. 18. Materia autem hujus coronæ Germanicæ non est ferrum, prout falsò existimant *Schneidevvinus d. loc. & Schônborn. 5. polit. 9.* Non argentum, ut alii volunt *cum Onuphrio Panvin. de Comit. Imp. c. 11. apud Goldast. in polit. Imp. p. 1. disc. 1.* quos & juris professores in Commentariis possim sequi, tra-

dit Dn. Carpz. d. loc. n. 14. Sed aurum. Ex puro puto enim auro fabrefactam esse coronam Caroli Magni Romanorum Regi in Imperatorem promovendo imponi solitam, sic tamen, ut in ea veterum laudabilis parcitas satis eluceat, apparet ex *Hartman. Mauro de Coronat. Caroli V. apud Goldast d. Tr. part. 3. disc. 3. cui præter testes oculares qualis est Hieronymus Balbus de coronat. cap. 21. apud Goldast. d. part. 3 disc. 2. ex sententia Limnæi lib 2. cap. 4. num. 37. subscribunt Marquard. Freher. in not. ad Petr. de Andlo lib. 2. de Rom. Imp. cap. 6. Orlandus Malavolta in historia Senensi lib. 3. p 1 pag 20.*

§. 19. Locum coronationis perpendens, non minorem circa eum, quam electionis locum deprehendo variationem Locum quidem ad perficiendam hanc coronationem determinatum novimus à Carolo IV. in *A.B. tit. 28. § 5.* Civitatem Aquisgranensem, quamvis ipse non Aquisgrani sed Bonnæ propè Coloniam Agrippinæ fuerit coronatus cujus tamen sanctio postea ab Impp. religiosè observata fuit, in tantum, ut Carolus, V. coronandus in Imperatorem de peste Aquisgrani nonnihil grassante admonitus, per consiliarium suum responderit: Se antiqui moris respectum habere, constanterque decrevisse nullibi nisi in antiquâ Carolorum sede regni diadema assumere, non consultum esse ob levem momentaneamque causam ritum coronandi priscum adversus A. B. præscriptum novare. *Hartm. Maur. d. loc.* Sed nihilominus post tempora Coroli. V. â sanctione hâc A. Bullæ sæpissimè recessum, aliisque in locis ex placito & conventione inter Regem & Archiprincipes Electores coronationem fuisse peractam, testantur exempla Ferdinandi I. & II. Maximiliani II. & Matthiæ, qui omnes Francofurti coronam susceperunt, nec non Rudolphi II. Ferdinandi III. & IV. Ratisbonæ coronatorum. Dati tamen sunt interea civitati Aquisgranensi reversales de non præjudicando illorum privilegiis. Et hodiè vel maximè inibi locorum haud celebratur, cum civitas fere tota incendio deflagrarit. Et quamvis in novissima Leopoldi Capitulatione mentio fiat de coronatione Coloniæ habendâ, attamen super eo dispensatum & ad parcendum majoribus sum-

ptibus

ptibus Francofurti consentientibus Electoribus celebrata est *DnSprenger. p. m. 176*

§. 20. Eandemque circa personam coronantis variationem produnt historicorum scripta. Et olim quidem hanc coronationem ad certum aliquem ex Electoribus haut pertinuisse probabile est, postea verò jus eandem peragendi ad Moguntinum tempore Ottonis I. pervenisse, apudque eundem permansisse usque ad Conradum II. inclusivè ex probatissimis auctoribus constat: *vid. VVittichind. lib. 2. de reb. gest. Sax in pr. Otto Frising. lib. 6. c. 19.* Deinde verò Henricus III. per Peregrinum Archiepiscopum Coloniensem coronatus, *Crantz. lib. 3. c. 10* simulque filius ejus per Hermannum Coloniensem, *Lambertus Schaffnaburg. In Anno 1054.* tum quia major claritas in Coloniensi quam Lupoldo Moguntino, tum quia consecratio Aquisgrani intra ipsius dioecesin celebranda erat; Quæ posterior ratio tam prægnans ac efficax subsequentibus seculis visa, ut jus hoc coronandi penes Coloniensem inmutabiliter permanserit. *Cisnerus in fin. Orat. de Ottone III.* Idque majoris certitudinis gratiâ Coloniensi â Carolo. IV. in *A. B. tit. 4. §. 3.* confirmatum fuerit. Sed dignitas hæc subsequenti tempore ad alios quoque EE. Ecclesiasticos usu & observantiâ promanavit; Non solum enim Archiepiscopus Moguntinus in Coronatione Rudolphi II. Matthiæ (quod non locus Coronationis effecit ut arbitratur *Limn. lib. 2. c. 4. n. 11.* Sed inhabilitas Coloniensis qui nondum pallium â Pontifice redemtum tenebat, sine quo ea, quæ sunt ordinis ut unctio & coronatio, non possunt ab Archiepiscopis peragi) Ferdinandi III. consecratoris officium sustinuit, sed & Rudolpho II. tres EE. Moguntinus, Coloniensis & Trevirensis conjunctim, uti & Ferdinando III. Moguntinus & Coloniensis simul coronam imposuerunt. *Carpzov de Leg. R. cap. 11. sect. 10. n. 23.*

§ 21. Hodiè consecratio alternatur extra dioecesin Coloniensem & Moguntinam inter Archiepiscopos Moguntinû & Coloniensem. Si in Moguntina dioecesi consecratio & coronatio celebratur, Moguntino competit, si in Coloniensi, Coloni-

loniensis consecrat, extra utramque alternant, quod subjecta docet Transactio.

Demnach zwischen dem Hochwürdigsten auch Durchläuchtigsten Fürsten und Herrn/ Herrn Johan Phillippen Ertzbischoffen zu Mäyntz etc. so dann Herrn Maximilian Heinrichen Ertzbischoffen zu Cölln etc. seithero sich umb deßwillen Irrung und streit erhalten / daß Ihr Churfürstliche Durchl. zu Cöllen die Crönung eines Erwehlten Römischen Königes Ihro und dero Nachkommen am Ertzstifft Cöllen allein / und zwar nicht nur zu Aachen und in dero Cöllnischen Ertzbischöfflichen Provintzen/ sondern auch durchgehendes im gantzen Heiligen Reich Teütscher Nation ohne unterscheid Krafft zu solchem ende angezogener Güldenen Bull Käyser Carls des Vierten zueignen / hergegen aber Ihre Churfürstliche Gnaden zu Mäyntz der Güldenen Bull nach / die Stadt Aachen zwar Ihre Churfürstliche Durchl. und dem Ertzstifft Cölln gestehen / Ihro doch und dero nachkommen am Ertzstifft Mäyntz/ alle übrige Ohrt des Heilgen Reichs Teütscher Nation Krafft für sich angezogenen alten herkommens und posses attribuiren wollen. Als haben beyderseits Höchstgedachte Ihre Churfürstliche Gn. Gn. und D. D. zu Mäyntz und Cölln / für sich und Ihre Nachkommen an dero Ertzstifften zuforderst Gott zu Ehren/ dem Vater-Land und dero Ertzstifftern-Land und Leüten zum besten nach reiffer Sachen vorbedacht sich in der gü[t]e einmütig und fr: Bruderlich verglichen / wie folget.

1. Wollen Ihre Churfürstliche Gn. zu Mäyntz und dero Nachkommenen am Ertzstifft Mäyntz zu fortpflantzung beständigen wohlvornehmens/ Güter correspondens und Freündschafft, wā die quæstio, ob die Crönung an einem andern alß in der Güldenen Bull bestimten orth verrichtet werden soll etc. vorkombt / sich nicht allein mit Ihrer Churfürstlichen Durchl. zu Cöln und dero nachkommen am Ertzstifft Cölln einstimig erklären / sondern auch dahin bemühen und vermittelen helffen/ damit die besagte quæstio in Churfürstlichen Collegio bey überlegung der Capitulation und vor der Wahl jedesmahl vorgenommen und erörtert/ und die Crönung zu Aachen/ Werckstellig gemachet werde nisi impedimentum legiti-

giti-

gitimum obviaverit, wie die Güldene Bull selbst redet tit. 25. vel 28 §. invenimus &c.

2. Daß bey den Ihren Churfürstlichen Gn. Gn. und Durchl. Durchl. zu Mäyntz und Cölln/ die Würde und das Ampt zu krönen in Ihren Ertzbistumben undisputirlich/ und zwar jedem in seinem Ertzbisthumb und seiner propriâ diœcesi allezeit, allein und privatim zukommen solle.

3. Da aber ausserhalb dieser beiden obgedachten Ertzbisthumen Mäyntz und Cölln die Crönung in einigen deren unterhabenden suffraganiaten oder in andern ausser der Ertzbischöfflichen Mäyntz und Cöllnischen Provincien gelegenen Ertz- und bisthumben geschehen würde/ alßdann soll dieselbe alternativè von beyden Herren Churfürsten Mäyntz vnd Cölln verrichtet/ und also ausser Aachen und den von beyden Herrn Churfürsten / sich vorbehaltenen ihren eigenen diœcesen und Ertzbistumben im gantzen Heiligen Reich zwischen Ihnen der Crönung halben eine durchgehende Gleichheit ins künfftig gehalten werden.

4. Dafern die Crönung ausserhalb denen Mäyntz: und Cöllnischen Ertzbistumben/es seye inner oder ausserhalb beyderseits Provincen vorgenommen werden solte: Alsdann solle bey obermelter alteration Ihre Churfürstliche Gn. zu Mäyntz/zu mehrer bezeugung Ihrer treuen fr: Brüderlichen affection,nicht allein sich freywillig erklähret / sondern danebenst auch des erbietens seyn / bey nähester Wahl und deren Capitulation dahin best möglichst zu cooperiren, damit die itzt bevorstehende Crönung in der Stadt Cölln (weil etwan wegen des kurtz hiebevorn zu Aachen vorgangenen Brandschadens der Accommodation halber daselbesten es unbequem fallen durffte) verrichtet werden möge.

5. Solle dieser Vergleich nicht allein von beyden Herren Churfürsten unterschrieben/ sondern auch von beyden Thum-Capitulen zu Mäyntz und Cölln mitbewilliget/ und zu ewigen Tagen hierauff einmütiglich/ fest und unvorbrechlich gehalten / auch andere explicationes,extensiones oder limitirungen/ darin keines weges zugelassen/ viel weniger das geringste sonsten dargegen attendiret werden/ dessen allen zu uhrkund haben beyde Höchstgedachte Ihre Churfürstliche Gn. Gn. nnd D. D. Mäyntz und Cölln/ etc. Geschehen den 15 Junii Anno 1657.

§. 22. Illud & hic notandum quod absolutâ coronatione sequatur continuatio Missæ, legatur Evangelium, Musica suum præstet debitum, Capellani cantent Symbolum apostolicum, & organa offertorium celebrent, dum Imperator offert & Sacramentum sub unâ percipit: Quibus finitis præcedit consecrator seqvuntur duo reliqui Ecclesiastici Electores, seculares præcedunt, Imperator conscendit solium Imperiale ad meridiem loco Sellæ Aquisgranensis erectû, ibi à consecratore hisce inthronizatur: *Sta & retine locum Regium quem non hereditario jure, nec paternâ successione, sed Principum electione in Regno Alemanniæ tibi noscas delegatum*: Sedet Imperator gratulatur Moguntinus El. nomine totius Collegii, seque suosque commendat; Descendunt Ecclesiastici in chorum, ut Pontificialia Electorali habitu mutent, manent à dextero latere stantes seculares Electores tecto capite, aspiciendo qualiter Caroli M. sive Noribergensi f. Aquensi equites creet Inperator, quorum nomina ut adveniant leguntur, qui ubi ad solium veniunt genibus flexis advoluntur, vultu in terram verso: Imperator tergum gladio tangit, continuat interim chorus, *Te Deum laudamus*: Equitibus creatis derscendit suumq; ante altare solium petit. Adveniunt duo Canonici Aquisgranenses unus tenet Evangelium, alter S. Stephani capsulam, osculatur Rex illud, & super hâc juramentum de servandis Canonicorum Aquisgranensium privilegiis præstat, simulque de receptione in Canonicum gratias agit. Recipitur autem in Canonicum Ecclesiæ Beatæ virginis.

§. 23. Omnibus hisce peractis secedit Imperator in chorum, deponit Dalmaticam & Sandalia, retinens coronam & pallium, exit Ecclesiam, tunc nec Imperator, nec Electores equitant, omnes pedibus incedunt, sunt ab utroque armati cives latere, comitantur à latere stipatores bipenniferi: Præcedunt 1. Executores quos Reichs-Profossen appellant. 2. Satellites, servitores Consiliariorum, Comitum, Nobilium 3. Nobiles Electorum pueri 4. Imperatorii nobiles pueri &c. Ordine à Sprengero relato, *quem in p. 179. vide.* Ubi venerunt in Curiâ in sua abeunt conclavia singuli, ibi depositâ lassitudine re-

ne re-

sedeunt occupando fenestras, Imperator solus unam occupat, reliqui ordine sedent, postquam prospectant, ordiuntur ceremonias. Conscendit equum Elector Saxoniæ in curiâ, fertur indè cursu in avenam positam ante culinam postquam modium argenteum implevit, & bacillo mensuravit, dat vice Mareschallo, illum rursus evacuat, evacuatum cum bacillo & equo sibi vendicat, venit postea Elector Bavariæ sive Vicarius Comes de Zeil, equitans in culinam, ibi patinam argenteam sumit, & frusto bovis assati impleri jubet, impletam portat in Curiam ubi expectat eum vice Mareschallus & cum baculo præit. Positâ patinâ in mensa Imperatoris, venit Brandeburgensis Elector sive Vicarius ejus Comes de Hohenzollern/ it similiter in culinam, indè malluvium argenteum cum gutturio portat, idque in atrio majori ad lavandum Imparatoriæ majestati præbet, tenent reliqui seculares mantile: Uterque vicarius instrumenta officii, malluvium nimirum cum gutturio hic, & ille patinam argenteam cum equis sibi vendicat. Posthæc Elector Palatinus sive vicarius de Sinzendorf missilia spargit, aureas & argenteas monetas cum effigie Imperatoris & anno coronationis jacit, vicarius partem monetarum cum equo pari cum coeteris jure habet. Notabilis autem intercedit diffirentia inter Electores & eorum Vicarios, illi enim intra, hi extra curiam equos conscendunt. His ad finem deductis ferunt fercula Comites Imperii, sedet ad mensam Imperator, accedunt interim Ecclesiastici E. E. interque illos consecratione antiquior benedictionem dat, quâ datâ, si in Moguntini diœcesi est in medio procedit, à latere reliqui, portant super bacillo argentea insignia, illaq; ante Imperatorem in mensâ ponunt, quæ quamprimùm Imperator cum promissione servandorum privilegiorum Moguntino reddit, qui olim hæc collo portavit. Et antiquitus Pincerna de Limpurg ex scypho argenteo prælibavit, & quoad bibendum Cæsari dedit; ex antiquâ consuetudine scyphum sibi vendicans: Fluit sedente Imperatore ad mensam rubrum albumq; vinum per aliquot horas, jaciunt pistores ex infimâ culinæ parte panem

nem fimilagineum. Reliqui Electores peractis officiis ab omnibus Electoribus suas mensas occupant, quæ ita paratæ sunt, ut ex A. B. sex, ex modernâ consuetudine tribus pedibus Imperatoria, Reginæ verò, si adest, ex præscripto A. B. tribus, ex observantia verò uno pede sint minùs elevatæ, & Electorum mensæ uno vel duobus pedibus altius, quàm Principum tabulæ sunt locatæ. Convivantes omnes impensis Imperatoris, nisi quod suppellex argentea Electorum propria sit, reliqua subministrat Camera Imperatoria. A dextero latere conspiciuntur Moguntina, Bohemica, Bavarica, Brandeburgensis: à sinistro sunt Coloniensis, Saxonica, Palatina, à facie Imperatoris Trevirensis: Si qui Principes adsunt & eorum mensa paratur, pede Electorum tabulis bassior in eodem cœnaculo. Dum accumbunt aperto omnes capite, ipse etiam Imperator sedet, nisi commoditas aliud suaserit, quo communiter ad Imperatorem reflectunt. Principes nunquam tegunt in Imperatoris præsentiâ; Quatuor civitates Norimberga, Aquisgranum, Colonia, Francofurtum in separato primo prandent conclavi, singulæ singulas suas mensas habent, stant à dextro Aquisgranensis, Norimbergensis, à sinistro Coloniensis, Francofurtana. Convivio peracto, comitatu & ordine, quo S. reassumptis insigniis comitantur in Palatium & usque ad conclave, Imperatorem, dein insignia si antiqua Norimbergensia sunt, ibi linqvunt, si alia sunt suis vicariis custodienda, tradunt. Gratias agit Imperator datâ abeundi licentiâ; abeunt: Conclusa res est, meditantur singuli discessum, partim ante Imperatoris abitum, partim post discedunt, nec tum civitas, sicuti ante electionem Electores, sed solum conducit Imperatorem, qui in abitu solus in carruca cum præfecto stabuli, cujus hoc est privilegium in itinere apud Imperatorem tecto capite sedere, & aliàs à latere currus ire conspicitur.

§. 24. Sunt hæc illa, quæ pro ratione temporis de Electione Regis Romanorum sub disputationis incudem revocare volui: Cum verò ut *cum Warem. ab Ehrenberg. de fœderib. lib. 1. c. 1. n. 31.* concludam, admodum angusta sit nostri ingenii

nii, scientiæ & cognitionis vena nisi aliorum traditionibus veluti multiplici lucernarum appositione juvetur; idcircò non nunquam aliorum expositionibus & opinionibus, quibus regitur mundus usus fui, quapropter minimè plagiarium me hæc qui leges vocitabis candide Lector.

TEIMINALIA ITAQ; SUNTO
&
SOLA SOLI SOLISQ; DEO SIT
GLORIA SOLI.

COROLLARIA.

1. IMperium nostrum adhuc hodiè rectè indigitatur Romanum.

2. Nec minus rectè vocatnr Sacrum.

3. Papæ in Imperatorem nostrum juris nihil competit nec ipsi in temporalibus subest.

4. Germanus æque is dicendus qui patre vel avo Germano, licet extra Germaniam natus.

5. Princeps Antecessoris sui factá, cæteris paribus, præstare tenetur.

6. Inter Comitem & Baronem nonnulli nullam agnoscunt differentiam, cum tamen revera intercedat.

7. Palatino olim vi A. Bullæ specialiter tributum ut judex Imperatoris sit constitutus.

8. Princeps Nundinas Civitati alicui concessas pro lubitu revocare nequit,

9. *Imperator Auream Bullam solus abrogare non potest.*

10. *Jus belligerandi hodie inter Imperatorem & Imperii status est divisum.*

11. *Justum est bellum quod adversus Turcam utpote communem infensissimumque nostrum hostem suscipitur.*

12. *Injuriosi sunt in sexum fœmineum, qui fœminas homines haud esse contendunt.*

13. *A Collectis Turcicis Imperator nemini potest præstare immunitatem,*

14. *Jus Nobilitandi soli Imperatori ut & Domui Austriacæ ex speciali concessione competit,*

15. *Q. Num à cive s. subdito ratione bonorum à se possessorum, sive ea sint immobilia, sive mobilia, sive se moventia, e. g. pecora, alibi tamen quam in loco domicilii detentorum, à Magistratu illius domicilii Collecta possit exigi? N.*

Pereximio atque Politissimo

DN. GEORGIO Neumann/

J. U. Cult. strenuo.

de Regis Romanorum electione

publicè disputaturo,

S. P. D.

AUgusti fiat quî ritè electio Monstras:
TE, precor, ut Themis hinc eligat alma suum.

benevolentiori affectui testando add.

Joh. Ern. Gerhardus, SS. Th. D. & P.P.

O Sor desidiæ, sic irrequiete labore
Continuas curas, opponis fortia rebus
Pectora, Teque *Virum*, *Logogripho* Judice, præstas.
Ingenium dum promptum & alacre exporrigis ausû
Laudando. Sic nostra Themis dictante Brabeuta
(Me sponsore) Tibi netam ex bombyce Tiaram
Conferet, Urge! Artes, non solos æstimat Annos.

Per-Eximio Domino
Auctori gratulat.

JOHANN-VOLK. Bechmann/ D.
& PRÆSES.

Wir fallen leicht dahin; Es ist im Nu geschen/
Drüm mus die Faust uns wieder lebend machen/
So fahr nur fort/ und sollt gleich alles krachen/
So wird man dich hernach gleich todt und lebend sehn.

Von Wittenberg aus schrieb solches
dein Bruder

Joachim Neumann.

F I N I S.

ERRATA.

In membro 1. §. 1. *lin.* 6. *legatur*, idcircò. *in* §. 2. *l.* 8. *leg.* ad. *in* §. 3. *l.* 5. *leg.* conductus. *in* §. 7. *l.* 2. *leg* negligens. *in ejusd.* §. *lin.* 4. *del.* necessario & *leg.* nostro. *in ejusd.* §. 7. *l.* *u't.* *pro* & ir. *leg.* thes. 12. *in* §. 9. *lin.* 8. *leg.* decantatissimus *in* §. 12. *lin.* 1. *deleatur.* prius. *s. in* §. 14. *lin.* 5. *pro* Nob!ts *leg.* Nobiliss. *in eod.* §. 14 *l* 23 *pro* vestitum *leg.* vestium. *in* §. 16. *l.* 12. *leg.* in. *in eod* §. 16. *l* 19. *pro* Broh. *leg.* Boh. *in* §. 19. *pro* Princeps *leg.* Principes. *in* § 32. *l.* 13. *pro* nomen *leg.* Komen. *in* §. 37. *lin.* 10. *pro minusculo* s. *substituatur* S. majus.